

[Faint, illegible handwriting on a blank page]



2009. L
44
CONSTANTINI M.

cum
ALEXANDRO Episcopo

olim MAGNO dicto,

in

Ecclesiis Invariatae Augustanae Confessionis

REDIVIVI

&

ANTI-MASENII,

DISPUTATIO VII.

de

Pede Papismi Metamorphico,
seu IV. Articulo Abusuum,

QUAM

DEO Duce & Facultate Theol. consentiente

exhibent

MATTHÆUS TABBERT,

SS. Theol. D. & Prof. Ord. p. t. Facult. Decanus,

Consist. Reg. Assess. & Eccles. Mar. Pastor,

&

M. JOHANNES Kistenmacher / Torga Misnicus,

In Auditorio Majori ad diem 23. Decembr.



GRYPHISWALDIÆ,

Imprimebat MATTHÆUS DOISCHER, Acad. Typogr. Anno 1676.

H. Burgard. Typogr.

VIRIS

Maximè Reverendo, Amplissimo
& Excellentissimo

DN. PAULO HOFMANNO,
S. S. Theol. Doctori Celeberrimo, Ca-
pituli Wurzensis Præposito, Ecclesiæ Torgen-
sis Pastori, ejusdemq; & vicinarum Superinten-
denti Gravissimo, optimè merito:

ut &

Plurimum Reverendo ac Præ-Clarissimo

DN. M. PETRO Kistenmacher/
Ecclesiæ Torgensis Symmystæ vigilan-
tissimo, benè meritissimo,

*Dominis, Patronis, Fratri & Promotoribus suis summisso
observantia devotoq; affectûs cultu æternum devenerandis,*

Sacram hanc Diatriben,

In perpetuum debiti honoris, sinceræ
gratitudinis & fraternæ fiduciæ monumen-
tum, ulterioremq; sui ac studiorum suorum
commendationem,

summissè & fideliter consecrat

M. JOHANNES Kistenmacher.



L. I B R I I.

CAPUT VII.

De Pede Papismi Metamorphico :
seu abusu circa Confessionem, & totum
Pœnitentiæ articulum.DISP. VII.
RESPOND.
M. JOHAN-
NE KISTENS
macher/
Torgâ Mis-
nico.

§. I.

SI unquam S. Scriptura & Antiquitas obtorto collo ad hominum commenta traducta fuit, id in depravatione solatii plei-
nissimis de Confessione & Absolutione articulis factum; inde
non sine causa scripserunt Augustani Confessores Apol. Art.
de Confess. & Satisfactione p. m. 181. Adversarios *mirificâ META-
MORPHOSI hic transformasse dicta scripturæ in quaslibet senten-
tias.* In quo quàm bellè imitatus sit Proavos suos, & quàm exactè
transformandi artem didicerit noster *Masenius*, quomodoq; ad an-
tiquam *FORMAM* Confessio & Absolutio jam reducenda sit, nunc
docendum est. Sunt autem quinque præcipuè, in quibus meram
Metamorphosin observârunt veræ fidei Antecessores Augustani:
(1) Fidei ceu Principalis pœnitentiæ & Confessionis Christianæ par-
tis, intermissio. (2) Perpetua de remissione peccatorum & justifi-
catione dubitatio. (3) Omnium peccatorum circumstantialis &
necessaria dinumeratio. (4) Absolutionis ministerialis erronea
definitio. (5) Meritoria Satisfactio.

§. 2. Primum quod concernit, dicit Augustana Confessio, *immodicè extolli cœpisse satisfactiones, fidei vero & meriti Christi
& justitiæ fidei nullam factam fuisse mentionem.* Miratur *Mase-
nius* part. II. p. 103. Confessionem hoc asserere, cùm *Concilium Tri-
dentinum* Sess. VI. c. II. cum Paulo ita loquatur; *Hunc (Christum)
proposuit DEUS propitiationem per fidem in sanguine ipsius pro
peccatis.* Modestior in hoc Bellarmino, qui inter mendacia in-
judicio suo de Form. Concordiæ id retulerat, *omnesq; libros Catholi-
corum,*

Augustana
Confessio
rectè taxa-
vit mutos
de fide ver.
Doctores
Papisticos.

corum, in quibus fides passim predicetur, id refellere, dixerat. Cæterum nec Masenius mirabitur, nec Bellarminus, vel, si quis ejus vindex extiterit, ulterius calumniabitur, si consideraverint, loqui Confessores de doctrina, sicuti communiter tunc publicè proposita, & ab injustis satisfactionum deprædicationibus de vera fide doctrina involuta vel neglecta, aut etiam suppressa fuerat, quamvis in ipso *sacro Codice*, nec non quorundam piorum simplicium Scriptorum illa incorrupta, vel saltem in verbis Scripturæ sine glossa allegatis integra remanserit: Si porrò illi cogitaverint, intelligere Confessionem *FIDEM* non in sensu *Pontificio*, in quantum nudum assensum doctrinæ Christianæ præbitum, (quem *Fidem informem*, sicut &, si cum charitate conjuncta sit, *formatam* nominant) denotat, sed accipere *fidem* in sensu *proprio* & Scripturæ S. in articulo Justificationis usitato, in quantum sc. denotat *Fidem*, ut loquitur Confessio in Apol. Artic. XIII. *specialem, quæ credit offervi remissionem peccatorum*, illamq; tanquam per Christum acquisitam *fiducialiter* acceptat. Hujus verò fidei Adversarios non fecisse mentionem, aut certum sanè, aut crassissimè mentiri Adversarios necessum est, quùm illam ut *inventum* Lutheranorum hætenus inauditum calumniosè exploserint. Bellarm enim l.I. c.IX. de Justif. *EXTRADITIONE ECCLESIASTICA* non modò *probare laborat, Fidem justificantem* (de qua saltem quæstio) *NON esse fiduciam misericordie*, sed & Cap. X. §. *tertia ratio*. fidem illam specialem vocat *fictam*, & dicit *tollere è medio orationem*, cùm nemo, ut putat, cum Ecclesia dicere possit, *dimitte nobis debita nostra, si credat peccata jam remissa*, adeòq; fidem non *justificam*, sed *justificationem impediendam* dicendam esse. Quæ sicuti ineptissimã diversorum Statuum, surgentium & stantiũ confusionem & oppositionem eorum quæ non sunt opponenda, sapiunt, (cùm omnia antegressa, regnantia, mortemq; actu inferentia peccata propter Christum fide apprehensum sibi remissa esse, DEUMq; propter Christũ filium se in gratiam recepisse vivã fide *credere*, & tamen benignum Patrem, ut, siquã *præter voluntatem* ex imbecillitate offenderimus, propter eundem filium suum hoc clementer itidem remittat, *filiati fiduciã orare*, & *orando* de remissione peccatorum sic certiorari, tam optimè consistere

fructu simul possint, ut hoc illius fructus præcipuus planè æstimari debeat, veniæq; quotidianorum peccatorum precatio ac impetratio nihil aliud quàm *accepta* remissionis ac *continuati* ejusdem *status major certioratio* sit) ita quàm verè Augustana Confessio, quòd Adversarii hujus *veræ fidei justificantis*, (cujus proprium Objectum Promissionem de gratuita peccatorum remissione & justificatione propter Christum rectè cum Scriptura constituimus) vel planè non, vel nimis oscitanter meminerint, imò quàm planè ejus illi meminisse nolint, conquesta fuerit, & nos cum illa hodiernum conqueramur, satis evincunt.

§. 3. Quæ rectè observavit dicta Confessio, dum Apol. artic. de Justif. p. m. 82. distinctè, de quibus Subjectis, deq; qua fide loquatur, explicat: *Evangelium*, inquit, *planè abolent, qui de HAC FIDE, de qua loquimur, nihil docent. At scholastici ne verbum quidem de HAC FIDE TRADUNT. Hos sequuntur Adversarii nostri, & improbant hanc fidem.* Et Apol. Artic. de pœnit. p. m. 172. edit. Lips. Form. Conc. inserta, *Adversarii*, inquit, *cum de fide loquuntur, & dicunt eam præcedere pœnitentiam, intelligunt fidem NON HANC, quæ justificat, sed quæ in genere credit DEUM esse, pœnas propositas esse impiis &c. Nos, præter illam fidem, requirimus, ut credat sibi quisque REMITTI peccata. DE HAC FIDE SPECIALI LITIGAMUS.* Unde rectè B. Lutherus scripsit in cap. XV. Johannis Tom. VII. Jen. p. 132. b. *Unsere Papisten haben gar nichts vom Glauben verstanden und gelehret / ohn daß sie ist das Wörtlein Glauben von uns gelernet / und müssen sich ihrer vorigen lehre selbst schämen / fahens an zu sicken / und nennen wol den Glauben / machen aber den Zusan vom Verdienst der Werke / daß NB. der Glaube doch muß nichts seyn.*

§. 4. Quòd si verò putaverit *Masenius*, Concilium Tridentinum in dicta Sessione, quæ 17. annis, exhibitâ Confessione Augustanâ, posterior, mentem in melius mutasse, aut ipse seriò sine intermixtione ullarum aliarum *propitiationum & satisfactionum*, (quod utinam factum optaremus!) crediderit, *DEUM proposuisse CHRISTUM propitiationem PER FIDEM in sanguine ipsius, pro peccatis nostris*, nobiscum equidem, hanc *unici* nostri Salvatoris

E f 2

solam

An Concil.
Tridentinum Fide
rectè definiat?



solam propitiationem FIDE in sanguine ipsius apprehendam, (quam specialem fidem vocamus) agnoscet, & causam, cur illi gratulemur, nos habebimus; fides tamen sua piis Confessoribus nostris hac in parte constabit, & ipse suæ societatis homines, ut à scædis scommatibus, quibus veram hanc ac salvificam in Christum fidem infectati hæctenus fuere, desistant, monendi causam inveniet & necessariam & honestissimam. Definit sacra Scriptura Fidem *salvificam formaliter* quidem per $\lambda\eta\psi\iota\nu$ seu acceptionem filii in mundum missi, Joh. I. v. 11. $\alpha\pi\omicron\delta\omicron\chi\lambda\omega$ verbi Evangelici, quod summam in hoc consistit, *JESUM esse CHRISTUM*, I. Joh. V. *Et venisse in mundum salvare peccatores*, I. Tim. I. 15. vel, quod idem est, definit illam per $\tau\omicron$ *credere IN NOMEN CHRISTI*, Joh. I. 12. seu, *in CHRISTUM*, c. III. adeòq; non modò per *apprehensionem assentientem*, seu *Assensum* eumq; *specialem*, quo homo assentiendo promissionibus Evangelicis *ad SEIPSUM descendit*, sibi illas *applicat*, sed & per *Fiduciam*, quâ homo, illa tam verè, quasi ad se solum, pertinere persuasus, in hac sibi propriâ factâ promissione de præsentem *recumbit*, ac in illa, ceu DEI verbo, ac per illud in *suo salvatore* contra omnes tentationes *immoto pede* stat & acquiescit; unde vocatur $\upsilon\pi\omicron\varsigma\alpha\sigma\iota\varsigma$ Hebr. XI. 1. & quasi *Pes*, quo movemur & ad DEUM accedimus, vers. 6. item $\pi\epsilon\pi\omega\iota\theta\eta\sigma\iota\varsigma$ η $\pi\alpha\rho\rho\eta\sigma\iota\alpha$ Ephes. III. 12. I. Joh. III. 21. & $\pi\lambda\eta\rho\phi\omicron\rho\rho\iota\alpha$, ducta Metaphora à navibus, quæ plenis velis incitatae feruntur, Rom. IV. 21. *objectivè* verò definit Scriptura illam (non quidem credenda cætera excludendo, sed præsupponendo) & quidem *adequatè* per promissionem DEI de gratuita peccatorum remiss. & acceptatione in Filium *propter Christum*, seu quod idem est, *Christum in meritis suis, verum illud propitiatorium*, Rom. III 24. *spectatum* seu *Nomen ejus, in quo remissionem accipere debemus*. Actor. X. 43. Actor. IV. 12. Joh. III. 18. *Effectivè*, quòd illa cum *exclusionem* omnium etiam verè reatorum operum, imò *sui ipsius*, ut opus est, vel ut illa ad legem pertinet & per legem ab hominibus requiritur, adeòq; quod non *meritoriè*, sed ratione *objecti*, sc. meriti Christi, quod per fidem apprehenditur, justificet. Etenim legè adeòq; omnia ejus opera virtutesq; & Fidem perpetuò Scriptura in Art. Justif. opponit; & dum dicit, *SINE lege*

lege *Justitiam DEI manifestatam esse*, Rom. III. 21. & *per fidem* nos justificari *SINE operibus legis*, v. 28. neque *legem ex Fide esse*, Gal. III. 12. quin, dum omnibus justificatis communem *ἀπὸ θεοῦ* ponit, neminem scilicet aestimare debere, *se ex operibus legis justificatum iri*, cum ceu Catholicum dogma verissimum sit, *nullum hominem vel carnem per opera legis justificari, sed PER Fidem in Christum*, Gal. II. 16. neque enim pios suam justitiam, quæ ex lege, crepare, sed *eam, quæ est EX FIDE CHRISTI, quæ ex DEO est justitia IN FIDE*, saltem pro vero suo thesauro aestimare. Philip. III. 8.9. Dum, inquam, hæc Scriptura disertis verbis docet, & generatim addit, *salutem nostram NON ex operibus esse, sed gratiâ, alioquin GRATIAM NON esse gratiam, & si ex OPERIBUS, jam non amplius ex gratia*, Rom. XI. 9. disertissimè exprimit, justificationem nostram non operibus aut fidei ceu virtuti, sed *merito Christi per Fidem ab homine apprehenso & à DEO ipsi imputato attribuendam esse*; quo in sensu si *Masenius* probarit, Fidem in Papatu olim viguisse aut hodiernum vigere, libenter id audiemus.

§. 5. Quicquid tamen sit, sive serio id, sive suo more, h. e. simulatè intelligat *Masenius*, certum est, *piam Antiquitatem, maximè Constantinianos & Alexandrinos nostros Doctores vera fidei, gratiam DEI & remissionem peccatorum merito Christi partam & in verbo Evangelii oblatam, apprehendentis, ac in Objecto hoc apprehenso, fiducialiter, contra peccati, Diaboli & legis accusantis tentationes, requiescentis, tam non fuisse immemorem, ut, quoties de vera apud DEUM justificatione loquuta fuerit, hanc nostram ab Objecto justifico, specialem ac justificantem fidem, dictam, ceu animam justificationis supposuerit. Quotiescunque enim NON nostris meritis, sed ex gratia & per meritum Christi nos remissionem peccatorum, vitam & salutem accipere Veteres testantur; toties de Fide speciali nostra testimonium ferre putandi sunt; Cum enim isthæc per justitiam, mortem ac vulnera dulcissimi Salvatoris meritorie acquisite, in verbo Evangelii efficaciter oblato- rum beneficiorum, ad quemlibet credentium facta fidelis vivaq; applicatio, (de qua frequenter Patres loquuntur) nihil aliud quam ipsa hæc nostra Fides specialis, vel fiducialis apprehensio, aut totius Christi,*

Fides à Luther. Specialis dicta ex Antiquitate, adeoque illam Non fuisse hic cum Papistis mutam, evincitur.



16.
 eeu unici inter DEUM & homines Mediatoris, *RECEPTIO* sit, hæc verò meritorum Christi receptio & ex illa orta justificatio nostra opera eorumq; merita in actu Justificationis, seu quantum ad justificationem attinet, constanter excludat, fieri aliter sanè non potest, quàm ut S. Patres, *Fidem* justificantem, pro Evangelicarum *promissionum* receptione & in illis Christi meritiq; ejus oblatis apprehensione & applicatione, nobiscum agnoverint, per *opera meritoria* verò Papistarum, ut loquuntur, *formatam* fidem, verius verò, *deformatam*, ac in CHRISTI satisfactionem, tanquam causam meritoriam, *unicam* & solitariam, injuriosam, constanter respuerint.

§. 6. Pulchrè S. Basilius Sermon. de Humilit. Tom. I. p. m. 433. *Qui gloriatur, inquit, in Domino gloriatur, quòd CHRISTUS NOBIS sit factus JUSTITIA, sapientia, sanctificatio, redemptio. Hæc est perfecta & integra gloriatio in DEO, quando neque ob JUSTITIAM SUAM quis sese jaçtat, sed novit quidem seipsum vere JUSTITIÆ INDIGUM; SOLA autem FIDE IN CHRISTUM justificatum esse. Et gloriatur in eo Paulus, quòd SUAM IPSIUS Justitiam contemnat, (utique ergò, non ipsam ut causam meritoriam, quam sub nomine fidei formatæ DEO offerat) sectetur autem per Christum EAM Justitiam, quæ ex DEO est in fide, ut cognoscat ipsum (ceu Salvatorem) & potentiam resurrectionis ipsius. NIHIL tibi relictum est ô homo, de quo gloriari possis, cujus gloriatio & spes in eo sita est, ut OMNIA tua mortifices, & futuram IN CHRISTO VITAM quæras. S. Ambrosius eleganter admodùm hanc fiducialem Salvatoris apprehensionem explicat lib. II. in Lucam c. II. Qui vult, inquit, dimitti, veniat in templum, veniat in Jerusalem, exspectet Christum Domini, ACCIPIAT IN MANIBUS (fidei) verbum DEI, complectatur velut quibusdam NB. SUÆ FIDEI BRACHIIS. Quibus consonat Gregorius Nyssenus Orat. II. in Cantic. p. m. 368. dum Christum dilectum FIDE inveniri & inventum RETINERI docet. Nec aliter Hieronymus l. II. adv. Pelag. p. m. 129. T. 3. Oper. cum tunc justos nos esse docet, quando nos peccatores esse fatemur, & justitia nostra NON EX PROPRIO MERITO, sed ex DEI consistit misericordiâ.*

Scriptu-

Scripturam enim docere: *Dic tu peccata & justificeris, conclusisseq; DEUM omnia sub peccato, ut omnium miseretur: & explicans illud Pauli: Existimamus fide justificari hominem; manifestissime ostendit, non in hominis Christiani merito, sed DEI gratiâ per Christum partâ & fide receptâ veram justitiam coram DEO consistere. Objicienti enim Pelagiano, hominem posse, si velit, esse sine peccato, adeoq; propriâ justitiâ justificari, & abutentibus loco Johannis I. Epist. I. sanguis JESU CHRISTI mundat nos ab omni peccato; Resp. distinguendo, aliud esse, mundari in Baptismo & pœnitentiâ à DEO, aliud, esse sine omni vitio: mundari hominem, h. e. remitti illi vi sanguinis Christi peccata, manere tamen reliquias peccati, quæ etiam faciunt, ut homo non possit legem exactè implere, aut ex operibus justificari, sed opus esse hîc gratiâ & misericordiâ DEI per Christum partâ & fide amplectenda, in quo demonstrando totus ibidem occupatus Hieronymus, multisq; locis classicis ex S. Paulo adductis, hanc thesin ex professo sibi probandam proposuit, ut verbis ejus utamur; Manifestè sc. ostendere scripturam, omnes Fideles ex Judæis & gentibus collectos, non merito, sed fide in Christum justificari, manifestè, inquit, Paulus ostendit, NON IN HOMINIS (fidelis, de hoc enim loquitur cum Paulo) sed in DEI GRATIA esse justitiam, qui SINE legis operibus credentium suscipit fidem. Vid. dictus l. II. contr. Pel. p. 128. & seq.*

S. 7. Consentiant ex asse ex Secul. IV. Alexandrinisq; nostris, in specie S. Athanasius & Cyrillus, ex primariis Ecclesiæ Luminibus celeberrima. Quorum ille Orat. I. contr. Arr. Tom. I. pag. m. 132. ad constantiam confessionis Fidei Episcopos Ægypti & Lybiæ exhortaturus, pro fundamento supponit, rectâ fide eâq; solâ in Christum homines justificari, atque Abrahami & omnium Sanctorum V. T. à S. Paulo adductorum exemplis hoc probans, Abraham Patriarcha, inquit, NON morte ad coronam venit, sed FIDE IN DEUM, aliiq; itidem sancti, quorum mentio apud Paulum, per FIDEM justificati sunt. Quid autem per fidem intelligat, neminem, qui scopum & libros Athanasii legit, latere potest; scilicet, quam ille libr. de incarn. verbi & alibi descripserat, & pro qua vitam etiam hic ponendam hortatur; Nempe quam summam Johannes

Fides justificans Alexandrinis Veteribus nihil aliud fuit, quam quæ dicitur apud Lutheranos Specialis.



hannes comprehendit I. Epist. V. v. 15. **JESUM** esse verum **DEI** Filium, verum humani generis Redemptorem & Messiam seu Christum, & qui hoc credit, ut Johannes v. 1. dicit, hoc est, credendo complectitur, & sibi proprium facit, s. ut ipse Salvator explicat, Joh. III. **QUI IN IPSUM** credit, justum & salvum futurum. Quæ fides an aliud quàm *fiducialis assensus* s. *applicatoria receptio* oblatorum in verbo Evangelii beneficiorum, s. gratiæ à Christo promeritæ & per Evang. oblatae esse possit, judicent, qui piè judicare possunt. Evidentiùs hæc explicat S. Cyrillus ex *Alexandrinis* nostris verus *Alexander*, lib. II. in Johan. c. L. & LI. p. m. 449. Explicaturus enim typum ænei serpentis, & rationem investigans, cur **INTUENTES** serpentem à moribus serpentum igneorum sanati fuerint, dicit factum esse, *ut EA RE discerent, FIDE SALUTEM sperare*; quibus hæc nervosissimè subjicit: *Morsu enim, inquit, serpentis laborantibus UNICUM erat remedium, exaltatum cum fide serpentem aspicere. Hæc quidem historia est, in qua velut in tabula, TOTUM figuratæ incarnationis mysterium obumbratur. serpens enim peccatum, quod humanum genus pascebatur, significat. Verbum igitur DEI factum in similitudine carnis peccati, in carne sua peccatum damnavit, RESPICIENTIBUSq; IN EUM FIDE SINCERA* (NB.) *eternæ salutis largitor ostenditur.* Et c. LII. dicit, *non venisse Christum in mundum, ut per legem, sicut Moses, damnaret, sed ut damnatam legem in* (NB.) **JUSTIFICANTEM GRATIAM** commutaret, & sic à peccatorum vinculis genus humanum eriperet. Ubi quid *justificans gratia*, quàm *justitia & satisfactio Christi*, & *Fide sincerâ* in illum *respicere aliud, quàm fide meritum & passionem Christi sibi propria facere, esse possit*, nemo non, nisi qui studio cœcutire velit, videre potest. Pulcherimè explicat hæc idem sanctus noster *Alexandrinus* Cyrillus lib. IV. Dialog. de Trinit. Tom. II. Oper. p. 302. Probaturus enim unam & eandem esse Patris & Filii hominis Justificationem, supponit fundamenti loco, **FIDE IN CHRISTUM** hominem justificari, & per fidem in Christum DEO placari, & placatos illi listi. *Hanc, inquit, magnificentiam Paulus Rom. VIII. (quis, inquit, accusabit electos? Christus est, qui mortuus est) in Filium translata,*
scribit,

scribit, tribuens ei, posse justificare eos, qui crediderunt, dum iterum sic dicit: *Justificati igitur per fidem, pacem habemus cum DEO, PER DOMINUM nostrum JESUM CHRISTUM. Familiars enim facit nos DEO ac Patri fides, & PER FILIUM* (quomodo? fide sanè apprehensum) *NOS propè constituit; justificat autem secundum VERUM & SINCERUM SERMONEM.* Quæ S. Cyrilli verba post longa tempora Petrus Lombardus II. Sent. dist. XIX. lit. A. explicaturus, *DEUS*, inquit, *proposuit Christum propitiatorium per fidem in sanguine ejus, id est, PER FIDEM PASSIONIS, ut olim aspicientes serpentem æneum in ligno erectum, à morsibus serpentum sanabantur. si ergò RECTE FIDEI INTUITU IN ILLUM respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, à vinculis Diaboli salvamur.* Confer S. Augustin. in Ps. 30. in Ps. 88. Tom. VIII. p. m. 103. item Serm. XXVIII. d. Verb. Dom. p. 112. de Fide & Oper. c. XVI. T. IV. p. 72. Idem in Psalm. 70. 1. de prædestin. c. 7. cum primis Chrysostomus Hom. VI. c. 1. Joh. Homil. XXVIII. in c. VIII. Matth. & Hom. IV. in c. I. ad Coloss. & S. Bernh. ep. 109. it. Serm. de Annunc. Mar. Qui omnes & alii dum *non* operibus ullis suis, sed *fide* in CHRISTUM *ut* unicum Redemptorem, Mediatorem, Salvatorem, adeòq; solam meritoriam salutis nostræ causam, se salvari, meritumq; hoc Christi fide recipi, *apprehendi* & fidelibus applicari, atque fideles in hoc ceu fundamento suo *consistere*, constanter docent, neminem puto tam bardum & barbarum esse, qui, quàm planè Fidei justificantis, quam nos defendimus, illi non fuerint obliti, quàm prorsus verò de Papistarum formatâ per opera meritoria fide justificante, nihil sciverint unquam, intelligere non possit.

§. 8. Secundum, quod in hoc capite Nostrates olim reprehenderunt, & in quo *Constantinianos & Alexandrinos* nostros Papistas nequaquam fuisse, demonstrandum, est de cantata illorum de Remissione peccatorum & justificatione *Dubitatio*; qui error eò periculosior, & à piis in fide Prædecessoribus eò justius notatus censendus, quò certius, illum, si penitus imbibatur, ipsam salvificam fidem labefactare, & hominem ad desperationem demùm adigere posse. Non sine causa igitur in sui temporis adversarios invehitur

Gg

B. Lu-

Papistarū
Dubitatio
de statu Ju-
stification.
confutatur
ceu secun-
dum Meta-
morpho-
scos caput.

B. Lutherus in cap. XV. Joh. Tom. VII. Jen. p. 132. b. Und daß das ärgste ist/ inquiens, wenn sie lange davon (vom Glauben und daran gestickten gerechtmachenden verdienenden Wercken) gelehret haben/ so haben sie es schändlich mit solchem Stant versegelt / und öffentlich gesaget: Es möge ein Mensch fromb seyn/ und viel Gutes thun/ aber doch wisse er nicht / ob er Gnade oder Ungnade erlange. Das sagen sie von den Frommen / die gerecht seyn und gute Wercke thun/ und sollen doch nicht wissen / wie sie mit GOTT dran sind. Das hat sie der leidige verfluchte Teuffel aus der Hölle heißen reden und predigen. Vid. de his & origine erroris plura in Apol. A. C. pag. m. 128.

§. 9. Vidit rei profundam malitiam sagax noster *Masenius*; proinde non videri vult cum suis certitudinem justificationis negasse: *Non jubemus, inquit p. 2. p. 103. quemquam de remissione peccatorum dubitare, sed cum Augustino dicimus de Perf. Justit. c. XV. Quantolibet justitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniat esse culpandum, cum Rex justus sedeat in throno.* Non tamen ita dissimulari poterat ulcus hoc, quin suâ ipsius putredine seipsum proderet. Subjicit enim statim Masen: *In Lutherianorum fide David non potuisset dicere, ab occultis meis munda me, Ps. XIX. cum certo teneret, omnia sibi esse remissa; Non igitur imperamus dubitationem de salute, sed noxiam PRÆSUMTIONEM de CERTA remissione DAMNAMUS; quare tamen consolationem non eripimus.* Adducit dein dictum ex Bernhardo, quo tamen nihil aliud probat, quàm *felicem esse illam mentem, cui DEUS infixit utrumque pedem, Timorem scilicet & spem, & tandem concludit; omnem fiduciam ac spei divinæ securitatem, quæ cum hoc timore Domini potest consistere, libenter se admittere.*

Verus de
dubitatio-
ne Q. sta-
tus forma-
tus, & Ma-
senius è la-
tibulo pro-
tractus,

§. 10. Verùm anguem, ut diximus, in herba hîc latere, sibiq; *Masenum* non constare, & in certitudine salutis suæ defendenda valdè incertum esse, sole meridiano clariùs constabit, ubi, quid hactenus internos quæsitum fuerit, paulò pleniùs consideraverimus. Non est ergò quæstio de inani certitudinis *persuasione*, & falsâ ejusdem gloriatione impiorum hypocritarum, quæ cum impietate & regnan-

& regnantibus peccatis potest consistere, quâ, ut loquitur Concil. Trident. Sess. VI. c. 9. *fiduciam & certitudinem peccatorum suorum homines 3 ACTANT*, illam enim non fiduciam in Christum, sed meram *infidelitatem & securitatem carnis* damnabilem dicimus; certi quibus sumus impios hos non *justificationem*, sed *damnationem*, quamdiu in securitate hac pergunt, sibi certissimè promittere debere: Neque est hæc nostra doctrina, sed *Maseni* cæterorumque Adversariorum calumnia, qui scedam causam apertâ status controversiæ violatione involvunt. Cùm enim nos *vivæ fidei* in Christum, hanc certitudinem tribuamus: impii verò, *se fidem vivam in CHRISTUM non habere*, hac ipsa sceleratâ suâ securitate, fortiori argumento probare non possunt, quippe cum deperdito proprio fidei effectu, hoc est, filiali timore DEI, odio peccati, bonisque operibus ex fide prognatis, ipsam fidem interiisse, certissimum sit, inde, quantus lusus sit, quod, cùm de certitudine salutis, *quæ fidei sit*, quærimus, illi de *incertitudine*, quæ *perfidie* deputanda, respondeant, quilibet perspicere potest. Proinde neque II. quæstio est, an quis secundum S. Paulum Philipp. II. v. 10. *cum timore & tremore operari salutem*, h. e. operam salutis suæ dare debeat? Novimus enim S. Paulum docere, utrumque apud verè pios consistere posse, ut & DEO, qui peccata propter Christum ipsis remisit & quotidie remittit, *confidere*, & ne benevolum Patrem impiâ vitâ offendant, timere, seriosque ac circumspectè videre possint; Novimus timorem rectè opponi *securitati carnali*, utpote quo cavetur, ne DEUS offendatur peccatis contra conscientiam; *tremorem* autem superbiæ & Pharisaicæ, imò Papisticæ imaginationi, quâ quis perfectam vel saltem sufficientem coram DEO *inherentem justitiam* sibi promittit, adeoque indies occurrentium nævorum & peccatorum remissionem, ejusque exorationem submissam sibi aut planè non, aut adeò non necessariam putat: Hanc, inquam, imaginariam, falsam & impiam fiduciam detestamur, & causam esse dicimus, cur ad *dubitationem* suam delapsi sint adversarii, nempe, quòd inhærenti justitiæ suæ confidere nemo possit, & si facere id tentet, illum dicimus non *confidentiam*, sed meram *diffidentiam*, & incertitudinem salutis necessariò experiri debere. Quapropter neque III.



quæstio est, de aliquo *dubitationis* sensu; an sc. homo renatus in lucta
 carnis & spiritus, (nunquam plenè hîc cessante) carnis imbecillita-
 tes, Justitiæq; inhærentis *imperfectiorem*, ac ad diffidentiam erga
 DEUM moventis ac impellentis pravæ naturæ, imò ipsius Diaboli
 motus in se nonnunquam sentiat, neque, an hæc *sentiens*, vel *in-*
quantum hæc sentit, *formaliter* credens & quasi *dubitando con-*
fidens dicendus? Sicuti enim carnem adversus Spiritum semper
 concupiscere, præter lamentabilem experientiam, ex S. Paulo Gal.
 V. 17. benè novimus, adeòq; duo contraria *principia* actionum in
 renatis agnoscimus, fidelemq; connatæ pravitatis instinctu,
 non semper æquè firmiter credere, sed ad dubitationem sollicitari
 concedimus, ita, dum hoc patitur, illum hoc ipso credere, asserere
 velle, judicamus contradictorium esse. Ex quo porrò consequitur,
 neque IV. propriè quæstionem esse de necessariis contra has tenta-
 tiones fidei exercitiis; nec quæri, an homo fidelis, inter luctas car-
 nis & spiritus, contra tentationes tanquam spirituales insultus, fi-
 deli promissionum Evangelicarum reminiscentiâ, & in illas *assensu*
& fiducia sese erigere, ac tandem illas per spiritualem hunc gla-
 dium amputare debeat; hanc enim ipsam veram *rationem* & mo-
 dum esse, quo certitudo justificationis acquiratur, aut si incerta
 reddi à carne velit, confirmetur, libenter fatemur; Proinde, cum
 quærimus, an homo de remissione peccatorum & adoptione in fi-
 lium, seu de justificatione sua certus esse possit, hanc ceu organi-
 cam & instrumentalem certitudinis causam apud illum supponi-
 mus. Neque ultimò quæstio est propriè de statu credentium *fu-*
turo, sed de *præsenti*, hoc est, non propriè quærimus, quomodo
 de perseverantia sua usque ad finem vitæ suæ, seu statu futuræ salu-
 tis homo fidelis certus esse possit?

§. II. Quamvis enim duæ hæ quæstiones sint cognatæ; quia
 tamen aliud est quærire, an & quomodo quis certus esse possit de
gratia DEI in præsenti, aliud, an possit certus esse de futura *perse-*
verantia, & ut optimè cum cæteris nostratibus B. Gerhardus part.
 ult. Confess. Cathol. p. 726. monet, *certitudo de perseverantia sit*
hypothetica, de justitiæ statu præsenti, absoluta; ideò de hac, non
 illa, quæstio propriè instituitur. *Quamvis enim homo*, ut verbis
 dicti



diſti magni Viri utamur, credens, *DUM TALIS EST*, ex ſua parte nullam dubitandi de perfeverantia rationem habeat, quia & *POSSE* & *VELLE* nunquam ſibi ademptum iri novit ex promiſſione Philip. I. 6. c. II. 4. *NISI ipſe ſpiritu ſancto reſiſtat*, quod tamen ne faciat aut facere velit, ſatis habet virum ab inhabitante ſpiritu ſancto: tamen, quia non impoſſibile eſt, non obſtantibus hiſ diſvine gratiæ fulcimentis, ut homo renatus (deſinendo eſſe renatus) expellat regenerantem pariter & renovantem ſpiritum S. *ABSOLUTÆ impoſſibilitatis certitudinem nemo ſibi promittere poteſt & debet.* Proinde tota quæſtio inter nos & Pontificios redit huc: An homo renatus ſeu fidelis, h. e. qui de peccatis & inhærentibus imperfectionibus verè doluit & quotidie (NB.) dolet, infirmitatesq; ſubinde emergentes ſeridè & cum deteſtatione agnoſcens, vi diſvinitus oblatus & fide recepti verbi Evangelii, de remiſſis propter Chriſtum omnibus ſuis peccatis, & in filium adoptione, vitæq; æternâ ex miſericordia propter Chriſtum donandâ, *DIVINA* & *infallibili fide*, in præſens ita certus eſſe poſſit, ut verè ſecum non modò ſtatuat, omnia peccata ſibi infallibiliter *ſe remiſſa*, & ſi fortè ignoranter peccaverit, illud *DEUM* clemèter *REMISSURUM*, ſeq; receptum apud *DEUM* in gratiam, proinde pacatâ conſcientiâ piis precibus ad placatum cœleſtem Patrem poſſe accedere, in omnibus neceſſitatibus hunc invocare, vocationis ſuæ operibus quietè ſtudere, ſed & ut, ſi ſibi (in hoc ſtatu) jam moriendum fuerit, certus ſit, ſe citra dubitationem æternam vitam adepturum. Hoc eſt, quod quærimus, hoc eſt, ad quod ſine tergiverſatione, an neget vel affirmet, *Mafenius* cum ſuis reſpondere tenetur.

§. 12. Cavillationes ergò meræq; tergiverſationes & inverſiones quæſtionis *Mafenii* ſunt, cum, *ſecundum noſtram fidem*, putat, *Davidem non potuiſſe dicere*, *ab occultis munda me*, cum certò *TENERET ſibi eſſe remiſſa*. Apertam enim fallaciam oppoſitionis committit; cum enim, ut ſuprà indicavimus, quæſtio nobis non ſit, an homo *ſecurus* & de peccatis ſuis quotidianis haud dolens, de ſtatu gratiæ certus eſſe poſſit, ſed de *fidelibus* & in ſtatu gratiæ actu conſtitutis, ideoq; ne benignum Patrem offendant, verè timentibus, ac proinde, (NB.) ne quotidiana peccata propter

Cavillatio
Mafenii,
quomodo
homo cer-
tus de re-
miſſione
peccatorū
remiſſionē
orare poſ-
ſit, eliditur.

Christum, secundum infallibilem promissionem suam, *imputet*, fideliter orantibus, (inter quos certè S. David erat) adeoq; an hi de remissis, seu non imputatis propter Christum peccatis, de præsentis certi esse possint, nobis sit quæstio: Ille verò, *extra* hoc quotidianum fidei ac pietatis exercitium, de peccatorum remissione seu non imputatione certitudinè quandam, hominemq; fidelem extra hos *fidei* actus, h. e. fidelem *sine Fide*, sibi imaginetur, ideò, quàm candidè nobiscum tum secum ipse agat, facilè exinde est perspicere. Neque quicquam juvat *Maseni* *lusus* in verbis *remissorum peccatorum*, quorum *veniam*, si certum, antea illa remissa esse, *orari non liceat*. Falsissimum enim est (1) si simpliciter accipiatur, quempiam illorum peccatorum, quæ jam sibi remissa esse certò credit, *non debere veniam orare*. Quamvis enim fidelis, peccatorum, quæ credit jam antè semel remissa, ad quæ etiam contra conscientiam, non rediit, quasi *de novo remittendorum*, veniam, non oret; orat tamen *illorum* veniam, tanquam sub (NB.) *continuatione semel perfectè concessæ veniæ* cadentium, vel, orat & debet orare remissionis illorum *semel* perfectè factæ, *CONTINUATIONEM*. Neque enim pii ita planè obliviscuntur suorum peccatorum, maxime quorum meminisse possunt, aut lapsuum nævorumq; suorum præteritorum adeò sunt immemores, ut non *quotidiè* ingemiscant cum Davide ex Psalm. XXV. v. 6. *Peccatorum adolescentiæ meæ & scelerum meorum* (ut vertit Pagninus) *ne sis memor*: sed quia per fidem *continuatam*, (quæ nihil aliud est, quàm remissionis peccatorum, cæterorumq; per Christum partorum beneficiorum viva, constans *solidaq; apprehensio*) remissionis ac reconciliationis cum DEO statum *continuari*, & per verbum Evangelii in corde ipsorum, (quamdiu contra conscientiam non peccant) *plantatum*, Jacobi I. 21. à parte DEI continuò hæc omnia offerri, & apud se conservari norunt; fidem verò seriis ac humilibus ad tam *benignum* Patrem precibus, ceu propriis ejus alimentis, excitari ac *augeri* non sunt nescii, imò cùm fidem, sine his propriis suis exercitiis, languescere, & tandem obducto hominis corde supinæ negligentia & securitatis rubigine, prorsus extinguunt, sunt certissimi, exinde, quomodo verè fideles cum Davide & certi sint de suorum peccatorum *præteritorum* remissione,

sione, & tamen, tum antea remissorum continuandam, tum illorum, quæ quotidie perpetrant, quorumque conscientia habetur, & interdum non habetur, impetrandam remissionem supplices non minus quam confidenter à Deo orent, nemini mirum videri potest, quam illi, qui, quid verus sit Christianismus, non intelligit. Vid. D. Lutherus in Comm. Epist. ad Gal. c. III. p. m. 241. & p. 314.

§. 13. Quia enim multa, proh dolor! præter spem & citra propositum, imò inscienter, & quæ peccata non quidem naturâ suâ, sed propter *aliud*, (intervenientem scilicet *vivæ fidei statum*) venialia dicere solemus, piis obrepunt; illa verò jure suo DEUS *imputare posset*, quamvis ad condemnationem *actu* non imputet, Rom. VIII. v. 1. atque hoc DEUS ideò præcisè facere putandus est, quod pii instar frugi liberorum, agnoscentes errata propter Christum remissionem fideliter *orent*, & sic orando, pro meritamper Christum, ceu sufficientissimum *ἀντίλυτρον*, remissionem peccatorum, continuatè *suâ* faciant, de cæteris etiam, cū DEUS quidem ut benevolus Pater dicto jam modo & ratione à *parte* sua peccata venialia non imputet, nec se imputaturum declararit, in ipsis his precibus tamen homo *deprecans* peccata sua ut *remittenda*, vel certè ut naturâ suâ *imputabilia*, imò, extra fidei fidelisq; orationis ambitum verè *imputanda*, *supponere*, atque adeò, dum *veniam* precatur à DEO, propriè loquendo, non ut qui jam remisit, sed infallibiliter *remissurus* sit, (quamvis hæc duo modo loquendi saltem differant) illum intueri debeat, ideò, quomodo homo de remissione obtentâ certus esse possit, ut tamen peccatorum remissionem quotidie obtinendam oret, ex his facilè intelligitur.

§. 14. Quapropter sicuti hæc omnia in *subjecto*, de cujus certitudine justificationis quæritur, ceu extra controversiam, *supponimus*, ita, an de tali homine fidei, in quo hæc omnia supponimus, quòd *fide divinâ* de suo statu justificationis & salutis certus esse possit, (sicut nos id confidenter affirmamus) Papistæ & noster ex illis *Masenius*, affirmant vel affirmare possint, videndum est.

§. 15. Non posse, testes omni exceptione majores esse possunt Patres Concilii Tridentini, qui Sessione VI. cap. 9. apud Carantz. p. 690. hanc à nobis explicatam in Christo renatorum fiduciam non

modò

An per Papismum liceat de statu justificationis & salutis homini certum esse? Neg.



modò sub infami nomine *INANIS HÆRETICORUM fiducia* traducunt, modò *fiducie & certitudinis* remissionis peccatorum *FACTANTIAM* vocant, nec dicendum esse, volunt, homini in hac sola *fiducia QUIESCENTI* peccata dimitti vel dimissa esse. sed neque illud asserendum æstimant, oportere eos, *QUI VERE JUSTIFICATI SUNT*, absque ulla omninò dubitatione, apud semetipsos statuere, *SE ESSE JUSTIFICATOS*. Quibus postea subjiciunt: Nam sicuti nemo pius de *DEI misericordia*, de *Christi merito*, deq; sacramentorum *virtute & efficaciâ* dubitare debet, sic quilibet, dum seipsum suamq; propriam *infirmi- tatem &* (NB.) *in dispositio- nem respicit*, de sua *gratia* formidare ac timere potest, cum *NUL- LUS* (NB.) scire valeat *CERTITUDINE FIDEI*, cui *NON potest subesse FALSUM*, se *gratiam DEI* esse consecutum. Sed ne, quis verus sensus horum Patrum sit, dubitemus, Bellarminus l. III. de Justif. c. III. §. *His erroribus*. illum sic explicat, ut dicat, sententiam *COMMUNEM* ferè omnium Theologorum, & quod longè majus, ipsius *Concilii Oecumenici, (Tridentini)* esse, *NON POSSE homines in hac vita habere certitudinem fidei de sua justitia*, h. e. ut cap. II. statum quæstionis format; *Non posse hominem certum esse certitu- dine divinæ fidei, cui NULLO MODO potest subesse falsum, SIBI remissa esse peccata.*

§. 16. Concedunt illi equidem, aliquam Justificationis dari certitudinem, verùm illâ dicunt non esse divinâ & infallibilem, sed humanam saltem & *conjecturalem*, cui *subesse potest falsum*; Negant enim dari hîc certitudinem, cui non possit subesse falsum. Clariùs & disertè hoc nobis explicat Cornelius à Lapide Commentar. in Ep. ad Rom. c. VIII. v. 16. p. m. 107. *Nota*, inquit, *hoc testimonium spiritus s. quo nobis testatur, nos esse filios DEI, non est certum CERTITUDINE FIDEI, ut volunt Hæretici, (Lutherani)* hoc enim *DAMNAT CONCILIUM TRIDENTINUM, sed tantum certum CERTITUDINE CONJECTURALI, quæ tamen certitudo cum sanctitate crescit, atque hanc dicit non infallibilem esse, ita ut quis ausit jurare, se esse in gratia DEI; & ALIQUIBUS VALDE SANCTIS quidem interdum contingere per valde crebros & claros motus sp. s. ita quidem, ut omnem motum & formidinem oppositi excludat,*

eludat, non solum à fiducia, sed & ab intellectu, sicuti scimus, Constantinopolin vel Alexandriam esse, ex eo, quod omnes passim dicunt illas urbes existere; sibiq; demum objicienti, testimonium hoc tamen esse à Spiritu S. & omninò certum, respondet, *IN SE quidem esse certum, NOBIS tamen non esse certum; quia, inquit, non sumus certi omninò, illud esse à spiritu S. NON autem à Diabolo;* ad quæ postrema verba, dum ex Authore illa huc transcribimus, meritò exhorrescimus, admirantes, ullum hominem tantæ cordis duritiei esse potuisse, ut, quod Spiritus Sanctus sibi soli in cordibus hominum per verbum operanti expressè adscribit, atque de quo fideles, quod Spiritus Sancti testimonium sit, ceu testimonio ejusdem Spiritus S. certi sunt, illud Diabolo ullo modo adscribere possit.

§. 17. Ex quibus apertè conficitur, Adversarios, nisi Sophistæ esse, & nobis non legitime contradicere, imò si sua tueri velint, fateri cogi, se statuere, hominem, *ut ut* veram pœnitentiam egerit, de peccatis & quotidie admissis, quorum in specie vel in genere saltem sibi conscius, seriò doleat, *oblatam in Evangelio & per Christum verum illum agnum Dei,* ut omnibus, ita & *SIBI* efficaciter *promeritam* remissionem peccatorum apprehendat, sibiq; per fiducialem assensum propriam faciat, atque propter hæc inenarrabilia ac immensæ bonitatis beneficia piam vitam seriò sibi proponat, propositumq; summo studio quotidie *exequatur*, seduloq; caveat, ne benevolum Patrem voluntariis peccatis offendat, & si fortè inscienter & ex imbecillitate offenderit, filialiter veniam oret, *NON posse tamen, in HOC statu, IN HOC,* inquam, *STATU,* & de *præsenti* infallibiliter certum esse, sibi omnia peccata, quæ damnationem actu inferant, remissa, seq; in gratia apud DEUM & hæredem vitæ æternæ esse, & quidem *fidei certitudine,* cui *NON* possit falsum aut *conjectura* subesse, *se non esse Filium DEI,* vel sibi *non* remissa peccata, aut etiam sub qua latere non possit falsa persuasio carnis & Diaboli.

§. 18. Quæ sicuti ipsam fidei salvificæ naturam, quæ in immota universalium promissionum Evangelicarum ad quemvis credentium individuali applicatione, seu, earundè fiduciali apprehen-

Dubitatio
hæc ex
Scripturæ
S. convul-
sione litur,

Hh

fione litur,

fione consistit, prorsus evertunt, atque adeò, neminem, quamvis credat in Filium, vitam aeternam se habiturum, vel, credendo remissionem peccatorum per ipsam se accepturum, (contra expressa & sole meridiano clariora Scripturæ testimonia, Joh. III. 16. 36. Act. X. 43. cap. XIII. 38.) infallibiliter credere sinunt, pacem & tranquillitatem mentis ac cordis Christiani, in qua secundum S. Paulum gloriari contra *dubitationes* carnis oportet, imò ob quam *confidenter* accedere possunt fideles ad *DEUM*, ceu Patrem placatum, Rom. V. 1. Ephes. III. 12. denique per Sp. S. in cordibus fidelium productam vivam divinamq; fidem, ejusq; actus, Rom. VIII. 15. 16. I. Cor. II. 12. in meras incertas, fidelibus ac infidelibus ex æquo quasi communes *CONJECTURAS* turpiter ac impiè transformant, ita mirum, *Masenum* pro falsatione & calumnia estimare potuisse, quòd dicamus, *Papistas* jubere dubitare conscientias in poenitentia, part. II. p. 7. aut asserere ausum fuisse, se cum suis non jubere homines fideles de salute dubitare, aut consolationem eripere, sed *NOXIAM* saltem presumptionem de *CERTA* remissione se damnare, omnemq; fiducia divina securitatem, quæ cum timore Domini consistere possit, libenter admittere. Sanè si hæc seriò docere, aut illa à se jure remove voluisset, non debuisset part. II. p. 64. tot rationes adducere, quibus certitudinem de remissione peccatorum incertam, ut ait, reddere voluit; Incertum enim aliquid reddere, & jubere de illo dubitare apud nos quidem sunt eadem. Neque etiam quisquam videre potest, quid ille in nobis, quantum ad hoc, aliud damnare velit, quàm divinam, seu ipsis infallibilibus & fallere nesciis Evangelii promissionibus immotè innitentem fidem & hominis verè renati fiduciam; hanc enim & non aliam, neque de aliis, quàm quæ suprà descripsimus, Subjectis, certitudinem intelligimus; quam si ille *NOXIAM* de remissione peccatorum presumptionem, vel, cum suis Tridentinis, *INANEM FIDUCIAM* estimaverit, affirmare sanè non poterit, se non jubere hominem de salute dubitare, aut consolationem ipsi eripere. Sanè qui cordis fidelium seu, de peccatorum remissione per Christum accepta & in verbo *DEI* fundatam certitudinem, *INANEM* fiduciam, conjecturalem certitudinem, cui falsum subesse potest, de quâ, an à *DEO*, an à *Diabolo*, incertum,

Masenum
cum suis,
homines
de salute
dubitare,
docere,
probatum,

incertum vel non satis certum, statuit, &, ut fecere Patres Concilii Tridentini, *mandat, NON* asserendum esse, eos, *qui VERE* justificati sunt, absque ulla (de presenti) *dubitatione apud semetipsos statuere debere, se esse justificados, seu, apud DEUM reconciliatos &* in gratia, ille re ipsâ & hac suâ doctrinâ tam evidenter *dubitationem de salute imperat*, ut ad hanc, ulteriori & expressâ jussione opus planè non fuerit, sed suppositâ hac doctrinâ de *conjecturali & humana* saltem certitudine, *dubitationem de salute, imò & tandem desperationem* sponte suâ sequi, necessum sit. Cùm enim de salute *dubitatio* re ipsâ nihil aliud aut sit, vel esse possit, quàm divinæ certitudini opposita salutis *incertitudo*, vel *conjecturalis* ac humana saltem, quam Papistæ docent, certitudo, cui, *an divina, an diabolica sit*, conjectura non levis subesse possit, ut docuit à Lapide, vel certè hæc *conjecturalis* de salute *certitudo* omnis *dubitationis* adæquata causa sit, (cùm ideò necessariò de salute homo dubitare cogatur, quod in *SO LA humana* certitudine, quæ in rebus fidei fallit & falli potest, & mendax, cæca ac nulla est, fiduciam ponere non possit, Psalm. CXVI. I. II. CXVII. 8. Jer. XVII. 5. I. Cor. II. 14.) ideò nemo, an de salute sua homines fideles dubitare Papistæ jubeant, tam dubitare potest, quàm qui, dum sol lucet, diem esse, aut noctem, cùm sol occidit, non dubitat. Et cùm salus animæ de *presenti* nihil aliud sit, quàm remissionis peccatorum & reconciliationis cum DEO per Christum factæ, atque adipiscendæ vitæ æternæ *infallibilis certitudo*, quæ vita nostra spiritualis, verèq; beata dicèda, Gal. II. v. 20. imò cùm *per fidem in Christum hæc salus obtineatur*, Eph. II. 8. & in tantum quis de salute sua dubitet, in quantum de statu suo fideli non est certus, ideò mirum est, an Papistæ, imperantes fidei & fiduciæ *incertitudinem*, & veram fidei certitudinem *noxiam præsumptionem* æstimantes, *de ipsa salute dubitationem* imperent, *Masenum* vel quempiam dubitare posse.

§. 19. Quo evicto, nemo ulterius ambigere potest, *Masenum* cum suis *omnem piis consolationem* hac suâ *dubitatione & conjecturali certitudine* eripere; Cùm enim status justificationis hominis, h. e. quod divinitus mediante verbo promissionis, se propter Christum in gratia apud DEUM esse, ideòq; ut Patrem suum

Masenius
omnem
consolationem
piis eripit,

in omnibus rebus adversis confidenter & cum certa exauditionis fiducia accedere possit & debeat, *omnis solatii spiritualis unicus fons sit*, Rom. V. 1. 2. Hebr. IV. 1. 2. imò unica causa, cur in *FIDE orans* Matth. XXI, v. 21. *non hæsitet*, vel contra exsurgentes dubitationes confidenter se erigere, & *NON hæsitare* debeat & possit. Jacob. I. 6. Econtrà verò hunc fontem solatii suâ perpetuâ dubitatione vel *INCERTITUDINE* illi obstruant, & merâ hæsitationem, an in gratia sint & peccata remissa nec ne, fidelibus *imperent*, omnem denique certitudinem ab infusa & inhærente justitia suspendant, quilibet facilè exinde perspicere potest, quàm verè illi omne solatium reverà tollant. Ecquis enim unquam ex fide orare, *DEUM* ut benevolam suam Patrem compellere, contra Diaboli, peccatorum ac inferni mundi; tentationes ad illum confidenter confugere, solatiumq; expectare à *DEO* potest, si, an sibi propter Christum placatus sit & ipse justificatus, non dubitare modò, sed & an peccata sua imputare, nec damnare potius, quàm ut filium exaudire velit, dubitare, vel certè haud certius hoc, quàm, numne contrarium *DEUS* facere velit aut fecerit, *conjecturare* debeat? aut quis quæso ex promissionum divinarum, etiam juramento confirmatarum infallibilitate, Rom. III. 4. II. Tim. II. 13. Ezech. XXXIII. 11. Hebr. VI. 16. Sacramentorum efficacia, Spiritus S. *per verbum* in corde firmato testimonio, fidei proprietate, ejusq; effectibus propriis divinis, (quæ omnia sacra Scriptura ceu efficacissima contra dubitationem & desperationem remedia in nostrum solatium passim adducit) unquam quidpiam solatii habere potest, si secundum Adversariorum mentem supponat, non posse, quicquid tandem agat homo, vel *DEUS* potius *per hæc media* in ipso agat, ullam nisi *conjecturalem certitudinem*, cui falsum subesse potest, apud hominem etiam piissimum produci, hominemq; pium, an peccata sibi à *DEO* propter Christum remissa, perpetuò dubitare vel *INCERTUM* esse debere. Ut non sine causa magnus Theologus D. Gerhardus Disp. II. de subversis per doctrinam Adversariorum solatii fundamentis à thes. 10. usque ad 17. p. 737. scripserit & probaverit, *Pontificios adeò sollicitè omnes rimas obstruere, per quas lux consolationis & gaudii* *IN CONTRITA* (NB. non securâ & noxiâ

præ-

præsumptione tumescencia) *corda ex hoc FUNDAMENTO de CERTITUDINE gratiæ & remissionis peccatorum in credentibus in verbo DEI propositio, illabi possit, ut nihil intactum reliquerint, quo suo de dubitatione spectro conscientias peccatorum, & iræ divinæ sensu jam ante exterritas, magis angerent. Falsissima ergo & impia vox est Masenii part. II. Obl. in art. XX. A. Conf. p. 64. Nullam posse scripturam proferri, quâ de se quisquam certus reddi possit, quod, ut par est, VIVA FIDE credat, adeoq; justus sit & DEO gratus.*

§. 20. Id verò nimis frivolum, factioq; protestatio contraria est, quòd Masenius, omnem divinæ fiducia ac spei certitudinem, quæ cum timore Domini possit consistere, se libenter admittere, scribit. Cùm enim verus timor Domini, non secus, ut cætera renatorum opera, acceptæ ac divinæ fide apud credentes certæ remissionis peccatorum ac justificationis apud DEUM, proprius ac verus effectus sit, & filiali timore DEUM pii ideò prosequantur, quòd norint apud illum se habere propitiationem, vel, ut commentatur in h. l. Vatablus, ideò homines pii DEUM colant, (amore & timore) quòd sciant illum esse misericordem, & iniquitates nostras non esse observaturum, Psalm. CXXX. 4. adeoq; timeant tam benignum Patrem scienter ac volenter offendere, ejusq; gratiam amittere, proindeq; omni securitate carnis abnegatâ, suæ tamè fragilitatis memores, circumspectè ambulent, seriisq; precibus, ut Spiritus sancti gratia ipsos in vera pietate conservare velit, DEUM sollicitent, Psalm. LI. 12. 13. summa, cùm ideò piè vivant ac justitiæ sese mancipent, quòd sciant se à servitute peccati per fidem in Christum liberatos, ut eleganter admodum ac magna cum fiducia hæc S. Paulus deducit Rom. V. & VI. cap. Masenius verò cum suis hanc status justificationis certitudinem, ut vidimus, neget, & ut noxiam præsumptionem DAMNET, nemo comprehendere potest, quomodo ille omnem fiducia divinæ securitatem, quæ cum timore Domini consistere potest, libenter admittat; cùm ille hanc ipsam divinam certitudinem, quæ veri DEI timoris, ut vidimus, unica ac solitaria causa est, quæq; cum timore DEI, ut adæquata causa cum suo effectum, non modò potest, sed & debet consistere, neget, & cum suis con-

An Masenius certitudinem, quæ cum timore DEI consistere potest, concedat?

jecturalem saltem certitudinem concedat, quæ sanè *fides divina*, aut filialis timor DOMINI tam prorsus non est, ut planè in *servilem* timorem, qui, an in DEO placatum Patrem, aut potius severum aliquem judicem expectare debeas, & an remissa peccata unquam sint, in suspenso, hominemq; dubium & incertum relinquit, degenerare possit.

Origo erroris.

Part. II, E. xam. Conc. Trid. p. m. 182.

§. 21. Haud obscurum autem est, ut rectè B. Chemnitius observavit, quid occasionem Adversariis, ut sic docerent, dederit: *Quia enim tota negotiatio Pontificie nundinationis hoc dubitationis fundamento nititur*, ideo illius causâ hanc dubitationem excogitatam esse, non immeritò creditur. *Conscientia enim* (verba sunt B. Chemnitii) *querens certam aliquam & firmam consolationem, quando audit, IPSAM FIDEM, etiam quando in promissione Christum Mediatorem apprehendit, debere dubitare de remissione peccatorum, cogitat se velle cumulare tam multa ac tam varia opera, ut, juxta Poetam, si non profint singula, multa juvent. Hinc ultra opera divinitus mandata, electivi cultus, sine fine & modo excogitati fuere. Hinc vota, peregrinationes, nundinatio Missarum, negotiatio indulgentiarum, & breviter, tota illa lerna superstitionum Pontificiarum. Cùmq; in agone conscientia in illis omnibus non invenit certam & firmam consolationem, excogitatum est tandem Purgatorium & propositæ redemptiones suffragiorum post mortem; His regni sui vectigalibus (subjicit magnus Theologus) timent publicani Pontificii; (ideoq; dubitationem defendunt) vident enim fore, ut minuantur & intercidant, si homines ex verbo DEI doceantur, FIDEM esse FIDUCIAM, que in promissione Evangelii inveniat, accipiat & POSSIDEAT certam & firmam consolationem. Hæc Vir pius verè & solidè. Ex quibus cùm de Masenianis Scripturarum depravationibus, quas præter illas, quas jam vindicavimus, & à controversiæ statu abluunt, adducit, judicari possit, plura non addemus.*

Constantiniani & Alexandrini Antiqui non fuere Fideles conjecturales,

§. 22. Quod *Constantino* nostro coævus Episcopos, maxime *Alexandrinos* attinet, illi hac in parte cum Papistis adeò nolueresse *fideles conjecturales*, ut vel ipsum S. Bernhardum (quem ideo pro se frustra, contra se verò admodum nervosè adducit *Masenius*) longè



longè post *Constantini* & *coavorum Alexandrinorum* seculum, h. e. circa ann. scilicet 1130. suæ contrariæ, h. e. nostræ sententiæ hæredem reliquerint. Hoc ipso enim, dum Serm. VI. in Cant. quem locum *Masenius* profert, *felicem mentem prædicat, cui Dominus JESUS utrumque pedem, timorem & spem infixit, illumq; judicii, istum misericordiae imaginem representare ait; hoc ipso, inquam, adeò nihil dicit, quod Masenius & cæteri Papistæ asserunt, adeoq; planè divinam certitudinem remissionis peccatorum apud fideles, quæ tales, reperiri non negat, ut potius timorem & spem pro fructibus fidei certitudinis agnoscat, adeoq; illam huic supponat. Se enim non de timore servili, qui ex incertitudine remissionis peccatorum aut reconciliationis cum DEO oritur, sed filiali, qui fidei fructus est, loqui, ipse Bernhardus satis indicat in verbis, quæ ab ipso Masenio productis, immediatè subjicit ex Ps. CXLVI. Dicit enim, merito beneplacitum est DEO super timentes eum, & IN EIS, qui sperant super misericordiae ejus. Ubi vel cæcus judicare posset, non Bernardum dicere, hominem de statu remissionis peccatorum & justificationis FIDE DIVINA nunquam certum esse posse, & perpetuâ dubitatione, an apud DEUM in gratia sit, fluctuare debere, sed loqui de justificatis, & qui de salute sua jam certi sunt, intereà, consideratione & meditatione judicii extremi meritò timent, ne peccatis contra conscientiam, & offendendo DEUM, ex gratia excidant, & judicii extremi se reos faciant, sed ita in misericordia DEI sperant, ne hac spe & certitudine status sui justificationis, ad carnis securitatem (secundum S. Pauli Gal. V. 13. monitum) abutantur; Quæ planè nihil faciunt ad Papisticam dubitationem. Quinimò per S. Bernardum hanc nostram divinam certitudinem apud fideles esse posse, imò in lucta carnis & Spiritus apud illos tandem superare debere, tam certum est, ut in hac certitudine contra peccatorum & conscientiae morsus cum omnibus piis se triumphaturū benè ac admodum Christianè ille confiderit; postquam n. dixerat, benè facere hominem, si credat, peccata sua non posse deleri, nisi ab illo, cui soli peccavit, & in quem peccatum non cadat, notanter subjicit, non hoc sufficere, sed addendum esse ADHUC, UT ET HOC CREDAT, QUIA DERIPSUM PECCATA SIBI DONENTUR.*

S. Bernhar-
dus à Mase-
nii perversi-
onibus
vindicatus

Serm. I. de
Annunc.
Mar. Tom.
I. p. m. 123e

NENTUR. *HOC enim esse TESTIMONIUM, (non conjecturalem & indifferentem certitudinem, meramq; dubitationem) quod perhibeat IN corde nostro spiritus s. dicens: DIMISSA SUNT TIBI PECCATA TUA.* En certitudinem divinam, in cordibus fidelibus à Spiritu S. profectam, remissa esse peccata! Et alibi planè jucundissimis verbis hanc fidelium contra peccatorum & Diaboli tentationes benè fundatam fidei securitatem depingit, (inquiens; *Reverà ubi tuta firmaq; securitas, nisi in vulneribus salvatoris? tantò illic securior habito, quantò ille potentior ad salvandum: Fremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur; non cado. FUNDATUS enim sum supra PETRAM firmam, peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed NON PERTURBABITUR, quia vulnerum Christi recordabor.*

**Ecclesie
Antiqui E-
piscopi nō
facere circa
statum
Justifica-
tionis suæ
Sceptici.**

§. 23. Neque putandum est, antiquiores Ecclesie Patres hic scepticos & tam desperabundos suæ salutis assertores fuisse, ut, cum quotidie, contra quævis peccata, contraq; carnis dubitationes sibi fide luctandum esse experti fuerint, studio tamen quasi ac dedita operâ, excogitatâ incertitudinis doctrinâ, remissionem peccatorum sibi dubiam reddere voluerint, quin potius in eo omnes solidè illos convenire putandum est, ut monstrent, quomodo ab una parte securi & impii homines, terrore justitiæ ac judicii divini ad agnitione peccati perducendi; ab altera verò jam renati & justificati **IN FIDE vivâ ac FIDUCIA** firmari, ac de statu suo gratiæ & remissionis peccatorum, contra omnes adversitates, ipsius etiam inferni tentationes, divinâ fide certi reddi possint. Id ex *Alexandrinis* nostris vel solus *Athanasius* docere potest, qui hanc ex Evangelio acceptam divinam ac infallibilem justificationis ac status gratiæ apud DEUM certitudinem, apud omnes verè fideles adeò indubitato supponit, ut hanc ipsam martyrii fortiter ab ipsis olim tolerati, unicum fundamentum posuerit. *Homines, inquit, antequam Christo incipiunt credere, mortem ut terribilem intuentur; ubi autem AD FIDEM ILLIUS DOCTRINAMq; transiere, tantoperè mortem aspernantur, ut ad eam ultrò contendant, mortemq; jam tam imbecillem habeant, ut etiam foemina, prius ab ea decepta, nunc illam, ut mortuam dissipatamq; ludibrio habeant.* Non aliter, quàm ubi *debet;*

debellato per legitimum Principem tyranno, manibus pedibusq; ejus
 intra vincula constrictis, omnes, quotquot ad id spectaculi super-
 veniunt, ludibriis ei insultant, SECURI jam illius servitiae & furo-
 ris, ob Principis sui de eo partam victoriam: Ita quoque mortem
 jam debellatam, & per salvatorem nostrum in cruce triumphatam,
 manibus pedibusq; ejus obligatis, OMNES EAM IN CHRISTO
 pedibus proterunt. Quod quàm nihil aliud sit, imò aliud esse
 possit, quàm de sua per Christum redemptione, & per illam apud
 DEUM factâ justificatione, vel, de statu suo salutis & factæ propter
 Christi meritum peccatorum remissionis, ex peccati & mortis vin-
 culis ereptionis, divinâ fide, (quæ sola hîc consistere potis est) cer-
 tum esse, adeoq; in Salvatoris sui honorem, & FIDEI suæ in illum,
 testimonium, vincula, cruces, mortemq; ipsam non horrescere, ne-
 mo non intelligere potest. Videantur in hanc rem plura apud
 Athan. d. l.

De Huma-
 nit. seu In-
 carn. Verbi
 Tom. I. p.
 m. 58.

§. 24. Ante S. Athanasium S. Hilarius dudum etiam osten-
 derat, hanc, quam nos defendimus, fiduciam ipsarum precum ma-
 trem & originem, vel necessarium requisitum esse, dum in Psalm.
 118. ita commentatur: *Veniat super me misericordia tua Domine,*
salutare tuum secundum verbum tuum. NE EX INCERTA &
ex INOPINATA SPE precari Propheta existimaretur; primum
 misericordiam, dehinc salutare, tum tertio subjicit, secundum ver-
 bum tuum, ut hanc ORANDI FIDUCIAM proficisci secundum
 VERBUM DEI ostenderet. At quomodo quæso cum fiducia se-
 cundum verbum DEI orare quis potest, nisi qui, factâ sui præsentis
 status cum verbo promissionis collatione, certum supponit, se in-
 gramine Christi Joh. XVI. v. 23. orare, h. e. se propter mortem & meri-
 tum Christi fide sibi applicatum apud DEUM esse in gratia, DEUMq;
 peccata sua, præter omne suum meritum, ex sola infinita misericor-
 dia propter Christum non imputare, sed sibi remisisse, adeoq; se ex
 hac erga cœlestem Patrem fiducia orare posse?

S. Hilarius
 in Ps. 118.

§. 25. S. Basilius ejusdem Seculi IV. author ita jubet pios
 Monachos orare: *tibi, inquit, igitur extenderis humilitatis ora-*
tionem, ac dixeris; gratias tibi ago, Domine, quod peccata mea pa-
cienter TULLISTI, & in hunc usque diem supplicium de me NON
 li
 sum-

S. Basilius
 de vit. solit.
 c. II. Tom.
 II. p. m. 356.

sumpsisti. Ego quidem jam dignus olim eram, qui innumeris malis affigerer, & à facie tua abjicerer; at patiens tua illa benignitas leniter mecum & toleranter EGIT; Et ubi has duas, pergit dictus author, partes glorificationis & humilitatis absolueris, tum deinde pete, quod petendum est. Quæ, aut mentiri orantem, ac coram DEO illa, quorû apud se non est certus, ceu vera ac certa tamen fateri, aut certè apud DEUM peccata sibi clementer non imputata esse, ipsum ex doctrina S. Basilii, ut certum supponere, necessum est.

In Johan.
Tract.
XXII.
Tom. IX.
p. m. 193.

§. 26. Omnium autem nervosissimè S. Augustinus tam noxiam Masenii excogitatam **PRÆSUMPTIONEM** rejicit, quàm veram fidei apud fideles *certitudinem* confirmat, cum quàm accuratissimè vanam *presumptionem à fiduciali & divino assensu*, ex applicatione infallibilium promissionum divinarum nato, distinguit; Sibi enim ipsi objiciens, Paulum dicere, *oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Christi, ut illic recipiat unusquisque, ergo non posse non etiam fideles venire in judicium*, statim subjungit, omninò tamen credendum esse, *Fideles non venturos in judicium, damnationis scilicet non discriminationis*, idq; propter Christum disertè hoc affirmantem: *Non, inquit, ego mihi hoc promittere audeo, (extra verbum DEI) sed credo PROMITTENTI: salvator loquitur, veritas pollicetur; ipse dixit MIHI, qui audit verba mea, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & transitum facit de morte in vitam, & in judicium non veniet. Joh. XI. Ego ergo audi vi verbum Domini mei, CREDIDI; Jam infidelis cum essem, factus sum fidelis, sicut ipse monuit; TRANSII à morte ad vitam, & ad judicium non venio, NON PRÆSUMPTIONE MEA, sed ipsius PROMISSIONE.* Ecce! piissimus Doctor, ex universali Christi propositione de credentibus in judicium non venturis, (citra dubium *divinâ certitudine certa*) in minori, ad seipsum & præsentem, fidei *statum suum* applicatâ, elicit conclusionem fidei *divinâ certissimam*; se sc. **TRANSIISSE** à morte ad vitam, & esse hæredem æternæ vitæ; non sanè suâ *presumptione vel conjecturâ*, sed **DEI PROMISSIONE**. Quod iterû aliud esse nihil potest, quàm nobiscû confiteri, se de præsentis salutis suæ statu & remissione peccatorum, sine qua salus obtingere nemini unquam potest, *fide divinâ esse certissimum.*

Num. Nisi fortè fingere velimus, S. Augustinum se vitæ æternæ
 hæredem professum, neque tamen, an reverà fuerit, satis tutò affir-
 mare potuisse. Pulcherrimè autem idem Augustinus Serm. XXVIII.
 de verb. Dom. Tom. X. pag. 112. carnalem securitatem, tum in
 operibus inanem confidentiam & arrogantiam ab *hac fidei certitu-
 dine & assensu* discriminat, omnia, inquit, *tibi peccata REMIS-
 SA sunt, ideo præsume non de operatione tua, sed de Christi gratia:
 gratiâ enim salvati estis, inquit Apostolus. NON ergo hic ARRO-
 GANTIA est, SED FIDES; predicare quod acceperis; non est su-
 perbia, sed DEVOTIO.* Ecce, credere, tibi *REMISSA* esse peccata
 propter Christum, *FIDEM* dicit, & *devotionem*, non, stylo Mase-
 niano, *noxiam præsumtionem*. Neve ullum restet dubium, idem
 Augustinus admodum piè fideles indignitatem suam ac indisposi-
 tionem agnoscentes, adeoq; sæpius *cum dubitatione colluctantes ita
 consolatur. Hoc, inquit, dixit DEUS, hoc PROMISIT, si parum* in Pl. 88.
est, hoc juravit. Quia ergo NON (NB.) secundum merita nostra, Tom VIII.
sed secundum illius misericordiam FIRMA est promissio, nemo debet P. 974.
*cum TREPIDATIONE predicare, de quo NON POTEST DUBLI-
 TARE.* Atque hoc statim *CORDIS ROBUR* appellat.

§. 27. Fiat nunc pro Episcoporum nostrorum *Alexandrino-
 rum* innocentia *ἀπόδειξις*. Quicumque de statu gratiæ adeò certi
 fuere, ut, si carnis & Diaboli instinctu, de gratia DEI, remis-
 sione peccatorum, justificatione suâ, & huic superædificatâ vitæ æ-
 ternæ adeptione, dubitare inceperint, infallibilis promissionis &
 certiorationis divinæ consideratione, se erexerint, tentationes has
 vicerint, illi de remissione peccatorum, filiatione DEI, & hæredita-
 te vitæ æternæ, adeoq; de statu suæ justificationis fide divinâ certi
 fuere, neque hominem fidelem *solâ conjecturali & humanâ certi-
 tudine, cui falsum subesse potest,* de salute sua certum esse, neque
 perpetuò hominem, an in statu gratiæ sit, dubitare debere, do-
 cuerunt. Atqui de S. Patribus, maximè *Constantinis & Alexandrinis,*
cæterisq; à nobis suprâ productis (quibus nullus in contrariū pro-
 duci potest) illud verum est; E. Majorem nemo negabit. Minorem
 probavimus, & mantissæ loco addimus verba notatu dignissima S.
 Cypriani ex Serm. IV. qui est de mortal. p. 207. Moribundis enim so-



S. Cypriani
Testimon,

latium & spem æternæ vitæ adipiscendæ refocillaturus, præsentis
ipforum **FIDEI** & reconciliationis cum DEO status, indubiam,
divinam, ceu ex verbo DEI natam & stabilitam certitudinem, ut fun-
damentum rei subjicit: *Quis, inquit, hic ANXIETATIS & SO-
LICITUDINIS locus est? Quis inter hæc trepidus & mœstus est,
NISI CUI SPES ET FIDES* (puto divina) *deest? Eius enim
est mortem timere, qui ad Christum nolit ire. Eius est ad Chri-
stum nolle ire, qui se (de præsentis) non credit cum Christo incipere
regnare. scriptum enim est, Justum fide vivere, SI JUSTUS
ES, & fide vivis; si verè in DEUM credis, cur non cum Christo
futurus, & de DOMINI POLLICITATIONE* (qui credit in Chri-
stum, debet habere vitam æternam, Joh. III.) *SECURUS? Et pau-
cis interjectis, Incertitudinem & ex illa prognatam dubitationem
& fluctuationem de promissione DEI cum fide divina constanter
adeò consistere non posse, docet, ut, qui hujus rei tanquam ex di-
vina promissione certus non sit, & fluctuantes animi dubitationes
Spiritus S. gratiâ non superet, sed illis indulgeat, hunc pro infideli
æstimet. Hos, inquit, sit, **QUIA FIDES deest, quia nemo
(infidelium) credit futura esse, quæ promittit DEUS, qui verax
est, cujus sermo CREDENTIBUS ÆTERNUS ET FIRMUS EST.**
Quid a. quæso hoc aliud est, quàm verbū DEI fide divinâ ut firmum
complecti, & eâdem illius promissionibus niti? eleganti simili
hoc explicat; *si tibi, subjiciens, vir gravis & laudabilis aliquid pol-
liceretur, haberes utique pollicentis fidem, NEC te falli ac decipi ab
eo crederes, quem stare in sermonibus atque actibus suis scires.*
**NUNC DEUS TECUM LOQUITUR, & tu MENTE INCREDULA
PERFIDUS FLUCTUAS? DEUS tibi de hoc mundo recedenti im-
mortalitatem pollicetur atque æternitatem, & tu DUBITAS?**
(Addimus propter materiæ ὁμοιωµα, nos; DEUS tibi seriò pœnitenti-
æ propter Christum remissionem peccatorum, justificationem, filia-
tionem & vitam æternam pollicetur, & tu dubitas, vel, non nisi
fide conjecturali & humanâ, cui falsum subesse potest, ei assentiris?
an acceptus illi sis, aut placatus?) *Hoc est, pergit dictus Author,
DEUM omnino NON NOSSE, hoc est Christum credentium Magi-
strum peccato INCREDULITATIS offendere, hoc est, (arrigite
aures**

aures Maseniani Papistæ!) in Ecclesia constitutum, FIDEM IN DOMO FIDEI, NON HABERE. Stet ergo sententia S. Martyris; Qui promittenti & loquenti DEO in promissionibus non confidit, & fide divinâ illarum apud se, hoc est, quod illæ de præsentî se attineant, certus non est, vel falsum hîc subesse posse, putat, non esse Ecclesiæ filium, & in domo fidei existentem Fidem non habere. Nos v. læti & certi de gratia DEI canamus cû veteri Ecclesia: **Allein Gott in der Höhe sey Ehr: u. Ein Wolgefallen GOTT an uns hat u.** relinquentes Papistis dubitationem suam, de qua hæc dixisse sufficiat.

§. 28. Tertium, quod Patres nostri olim & nos cum illis in Articulo IV. desideramus, est *omnium peccatorum circumstantialis & necessaria confessio vel dinumeratio*. De qua notandum est, non intelligi per Confessionem necessariam conscientie examen, quo quis secundum legis divinæ rigorem, antequam Confessionarium accedit, vitam antea actam *piè* rectèq; examinat, atque per hoc non modò peccatorum in genere, sed & *in specie* illorum, ad quæ præcæteris se proclivem sentit, se reum seriò agnoscit, agnita peccata dolet, & seriò DEO suo, ut cordis scrutatori, confitetur. Tale enim Examen ad fugiendam carnalem securitatem, amovendamq; de se inanem præsumptionem, & retinendam sui ipsius agnitionem, *jure divino summè* necessarium esse fatemur, dicimusq; , in cor hominis verè non contritum radios divinæ gratiæ illabi non posse. Atque ut hæc agnitio & Confessio apud auditores Pœnitentiariosq; nostros nunquam intercidat, solent apud nos alicubi non modò *conciones probatoriæ* præmitti, sed & *Formula Examinis* conscientie secundum præcepta Decalogi instituta confitentibus prælegi, sicuti hoc accuratissimè in Pomerania observatur ex Agend. Pom. p. 134. Unde benè Confessio nostra Augustana dicit, *Confessionem non esse apud nos abolitam; Non enim solevit corpus Domini porrigi, nisi antea exploratis & absolutis*. Non est quæstio, an Confessio, quæ apud nos *privata* dicitur, quâ accessuri ad S. Cœnâ se peccatores, & omnium peccatorum, si non semper opere ipso illa patrârint, naturâ, inclinatione, mente tamen, gestibus & verbis reos se agnoscunt, abolenda sit? Hoc enim neg. Nec quæstio est, an expediat aut valdè

Tertius in Confess. abusus, seu Enumeratio circumstantialis omnium peccatorum Papistica excutitur.



ædificet, imò **INTERDUM** necessarium sit, ut, si quis gravioris peccati sibi *consciens sit*, eoq; angatur, vel casu quodam, aut etiã conscientia, sicut ut plurimũ sit, erroneã, gravetur, nec satis absque speciali informatione se extricare possit, hæc sua desideria in sinum fidelis suæ animæ Pastoris securè deponat, & informationem specialem consolationemq; oret; Fieri enim potest, sitq; sæpius, ut propter nimium cordis dolorem conscientia teneræ, cum primis ubi iræ divinæ & peccati gravitatem illæ sentiunt, generalia hæc, **DEUS erat in christo, reconcilians sibi mundum, non imputans ipsis peccata**, II. Cor. V. 19. item ex Joh. III. 16. **Ita DEUS dilexit mundum, ut filium ei &c.** nec non ex Actor X. 43. **Omnes Prophetæ huic testimonium dicunt, remissionem accepturum quemvis, qui crediderit in eum,** & similia, sibi non satis possint applicare, vel etiam dubitent, an satis se pœniteat factorũ, an satis contrita, fideq; pusillã accepturæ sint peccatorũ remissionẽ, & quæ alia piis & anxius conscientis interdum obvenire solent non parvi momenti, dubia; hinc non modò concedimus, sed & monemus nostros Auditores, ut hisce casibus dubia nobis explicent, & informationem ac consolationem confidenter à nobis expectent; quã de re Pomeranica nostra Constitutio Eccles. ita in Agend. p. 137. accessuros ad Confessionem, notanter monere jubet, quam vide; Sicuti etiam inter peccata dantur gradus, & casus conscientia variũ sunt, in quibus pii non æquè sese sine manu ductione ita informare possunt, ut pacatam conscientiam semper habeant; ita necesse est *interdum*, ut ad proposita & confessa dubia *specialis informatio* accedat. Multò minus *questio est*, an homo **DEO, in** & ex vero contrito corde illa peccata, quorum post diligens examen conscientia, cum primis memoria suppetit, confiteri debeat; hoc enim *jure divino* necessarium, & contrariam relationem grave peccatum, imò *inane commentum*, stultitiam, & animæ carnificinam esse dicimus, **DEUM** καρδιογνώστην quicquam celare velle; id quod S. David suo exemplo Psalm. XXXII. v. 8. nos docuit. *Neque questio est*, an, cum hæc seria peccatorum Confessio coram ministro Ecclesie fit, *eadem* coram **DEO** fiat, & *in quantum* coram **DEO** sit, illa *juris divini* sit; neque enim hoc à nobis negatur; Quam

Quamvis enim confessio vera, quæ coram **DEO** fit, esse possit & quotidie fiat, absque Confessione quæ coram *Ministro* fit, fieri tamen non potest, ut confessio coram ministro facta, *si seria sit*, non sit etiam vera confessio *coram DEO*, adeoq; *in tantum*, in quantum *coram DEO est confessio*, eadē *juris divini* non sit, cum duæ hæ confessiones non specie distinctæ confessiones, sed ut unius rei *diversi modi*, seu, ut unius & ejusdem confessionis diversi *exprimendi modi saltem differant*; Et res quidem, ut sc. quis ferè coram **DEO** peccata confiteatur, *juris divini*, ut verò *certis temporibus* eadem confessio coram *Ministro* fiat, *juris Ecclesiastici*, & non *simplicis*, sed necessitatis *expedientie* sit; sicuti verbum **DEI** audire, meditari, recipere, ut fides generari, augeri & conservari possit, *simpliciter necessarium* & *juris divini* est; quamvis in pacato & quieto Ecclesiæ statu, hoc vel illo certo die id audire, meditari & recipere, hac vel illa methodo id comprehendere sit saltem *juris Ecclesiastici*, & fortè sic homini expediat, licet *in quantum* verbum **DEI** recipiendum, & in fidei confirmationem cordi *imprimendum*, sit *juris divini* & *simpliciter necessarium*. Neque *quæstio est de confessione publica*, quâ notorii peccatores, postquam peccata agnoverunt, ad tollendum in Ecclesia scandalum, publicè lapsum deprecando agnoscunt, à Pastoribus absolvuntur, & cum Ecclesia reconciliantur; illam enim in scandalosorum absolute non alio ferè ritu, quàm quo olim publicam pœnitentiam, quam *ἑξομολόγησις* dicebant, Veteres exercebant, apud *nos in usu esse* nemo nescit.

§. 29. Sed saltem quæstio est (1) de *latitudine* objecti, an *omnia peccata*, etiam quorum saltem quis memoriam gerit vel habere potest, homo nominatim confiteri debeat. (2) De modo enumerationis, an *circumstantialiter*, sicuti peccati species mutatur vel aggravatur, Confessionario semper pœnitens fateri debeat. (3) *De jure*, an id cogatur facere *JURE divino*, etiam si homo fidelis pacatam conscientiam *ex propria* applicatione habeat. (4) *De fine*, an talis, *jure divino* prætenſa necessaria peccatorum omnium circumstantialis enumeratio sit *meritoria*, quâ ceu, ut loquuntur, *exiguâ confusione redimatur* ingens *illa confusio*, quam alioquin in die *judicii* debebat pati. Bellarm. lib. III. de Pœn. c. XII. §. *sed præcipua*.

cipua. p. m. 1874. Edit. Ingolst. in 8vo. an sit *judicialis*, ideoq; ne-
 cessaria, ut Sacerdotes constituti à DEO spirituales iudices de sin-
 gulis peccatis tanquam *in causa rectè cognoscere*, & *pro ratione deli-
 cti, satisfactiones meritorias imponere possint*. Ad hæc quæsitæ
 respondent affirmativè Tridentini Dictatores Sess. XIV. c. V. An-
 no 1551. p. m. 727. Dicunt enim à Domino *INSTITUTAM esse
 integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum
 lapsis JURE DIVINO necessariam existere*, ut in hac sacerdotes
*judicium tanquam in cognita legitime causa exercere & æquitatem
 in pœnis injungendis servare possint, oportere ideoq; à pœnitenti-
 bus OMNIA peccata mortalia, quorum post diligentem sui discus-
 sionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occul-
 tissima illa sint, & tantum (NB.) adversus duo ultima Decalogi
 præcepta commissa*. Atque hic non tantum singularem à *πρὸς θεῷ*
 requirunt, ut *OMNIA peccata ACCURATE velint cognoscere*. Bel-
 larm. lib. dicto c. 9. §. *Habemus &c.* sed & tanto rigore hæc obser-
 vari volunt, *divinoq; jure* hoc niti opinantur, ut si quis saltem con-
 trarium his docuerit, anathemate hunc dignum censeant, iudice
 post Concilium Tridentinum Bellarmino lib. III. de Pœnit. c. II. §. I.
Masenius etiam noster in Obs. sua ad hunc artic. part. II. p. 104.
 postquam in deformi sua Reformatione S. Scripturæ verbis senten-
 tiam, quamvis, ut semper, frustra probare laboraverat, his succen-
 turatur, & rem quasi ex *Corpore Juris & Legatorum Juribus* dedu-
 cit, *Scriptura*, inquit, *potestatem remittendi & retinendi di-
 sertè Apostolis eorumq; successoribus tradit, tanquam Legatis cau-
 sæq; cognitoribus & iudicibus, qui inter lepram & lepram dijudica-
 re tenentur: unde & DISTINCTA peccatorum, quorum sibi quis-
 que conscius est, expositio REQUIRITUR*, cum citra hanc nemo di-
 scernere possit, an remitti, an retineri debeant, atque ineptum sit,
 eandem de otiosis verbis ac de adulteris sententiam pronunciari.
 Quomodo verò hæc disertis verbis ex Scriptura probârit, nunc
 videndum est.

Masenius
 ex Scriptu-
 ra Confes-
 sionē suam
 Auricularē
 non proba-
 re potest,

§. 30. Mirum ergò, in Scripturæ *obvio sensu* versatissimum
Masenum, in locis Jacobi V. & Actor. XIX. ita hallucinatum
 fuisse, ut in priori quidem, *pro confessione offensorum* pia ac libera
 CHRI.



CHRISTIANORUM inter sese, quâ *παραπτώματα*, errata & lapsus, Locus Jaco-
 quibus se invicem quandoque offendunt, sibiq; illos ceu inter ipsos *cob. V. 16.*
 notos, **INVICEM** (*ἀλλήλοις*) fraternè deprecantur, in altero verò, *excutitur,*
 pro confessione *generali* vitæ malè antea actæ ex cordis vero dolo-
 re profectâ, liberâ, & **PUBLICA**, privatam, auricularem,
 circumstantialem & *necessariam* à pœnitentibus Pastori Con-
 fessionario faciendam, legere voluerit, nec lippientibus præ
 Papismo oculis, legere vel advertere potuerit, per vocem
ἀλλήλοις à Jacobo usurpatam, (si *Maseni* sensus valere de-
 beat) prorsus everti, quod ille stabilire volebat. Si enim de Confes-
 sione, quæ Pastori *necessariò* fit, locus Jac. intelligendus, necessariò
 etiam intelligendus is erit de Confessione à Pastore pœnitentiario
 necessariò & ex æquo faciendam: dicit enim Jacobus hanc **INVICEM**
 fieri debere: quod an *Masenius* facere cum suis velit, maturè dispi-
 ciet. Poterat verò à Scoto, Cardinali Cajetano, Erasmo in h. l. i-
 psoq; Vasquezio meliùs informari, qui omnes ex hoc loco Confes-
 sionem, ut illi vocant, *sacramentalem*, non posse probari, veramq;
 & modò à nobis datam explicationem, ingenuè agnoscunt, quo-
 rum ultimus in Tract. de Pœnit. art. I q. 60. rotundè *negat proba-
 ri ex loco Jacobi PRÆCEPTUM Confessionis, quia multi interpre-
 tentur de Confessione, quæ INVICEM fieri debet, INTER FRA-
 TRES, UT CORRIGANTUR.*

§. 31. Quæ ex loco Act. XIX. capituli produxit *Masenius*, Act. XIX.
 eadem cum *Masenio* non ausus fuit Lorinus Jesuita in h. l. affirmare, locus vin-
 sed *terreri se* ait quidem *tam multorum judicio* (cum *Masenio* con-
 sentientium Papistarum) *ne definitè aliquid indicet*, **NON audere**,
se tamen illud Baronii (ad ann. Chr. XVI. Sect. 14.) **CERTUM**
EST, usurpare: Nempe sicuti nobis d. l. consensum *Alexandri*
 nostri S. Athanasii, ut & Basilii, largitur, & fatetur, **NULLUM ex**
antiquioribus Theologis, nedum CATECHISMUM CONCILII Tri-
dentini, ex hoc loco probare Confessionem sacramentalem; ita ve-
 rum est, quod Cajetanus, Erasmus, Arias Montanus in h. l. scribunt,
 intelligendum locum esse de **Confessione PUBLICA & IN GENE-**
RE factâ, quâ illi, qui crediderant, (verba sunt Ariæ Montani)
secundum potentiam virtutis DEI, testabantur mutationem in ipsis
 Kk *faciam.*



factam, virtute JESU CHRISTI in se habitantis per spiritum sanctum, atque illo testimonio confitebantur, quales antea fuissent, & quales redditi essent per Christum; sicuti Marc. I. 5. dicitur, totam Judæorum regionem exiisse ad Jordanem, & confessam peccata sua: quæ tamen Cornelius à Lapide Comm. in Matth. c. III. non ausus fuit de Confessione, ut loquuntur, Sacramentali explicare; Dicit enim, *HANC Confessionem NON fuisse sacramentalem à CHRISTO INSTITUTAM, sed saltem indicem pœnitentiæ & compunctiōnis & contritionis internæ ex amore DEI profectam.*

Confessio
auricularis
an sit utilis
ex Trident.
Concil. &
Masenio
disquiritur

§. 32. Quod verò porro de utilitate, divino jure necessaria & meritoria confessionis, cum primis certitudine remissionis re- censitorum peccatorum, prædicant Tridentini, quæq; *hujusmodi confessionis difficultatem ac peccata detegendi verecundiam* ce- solatio relevari ajunt; quod etiam Masenius de necessitate ejus differit, quasi sine illa *adulter ad amicam dimittendam, aut fur ad restituendum obligari, vel deneganti absolutio hæc negari non possit, æquitatemq; requiri, ut majori ONERE gravetur tam profligata conscientia, quam ut se in genere saltem peccatorem agnoscat*, illa seipsa facile confutant. Sicuti enim Tridentini talem confessio- nem, quâ *quisque OMNES conscientia sue sinus & latebras ex- plorare, circumstantiasq; eas, quæ peccati speciem mutant*, cum ipsis peccatis mortalibus jure divino ideò recensere tenetur, quod hæc enumeratio circumstantialis *meritoria sit*, & ex parte confiten- tem justificet, fabricant, hæc verò omnium sinuum & latebrarum conscientia exploratio impossibilis partim, partim omnis dubita- tionis de accepta perfecta ac sufficienti remissione peccatorum, vera ac unica mater est, cum fieri non possit, *ut homo de perfectio- ne & sufficienti remissione peccatorum suorum certus sit*, quam- diu de agnitionis suæ & adhibitæ in conscientia scrutinio, debita diligentia perfectione, (cui remissio apud Papistas meritorie inni- titur, & de quo tamen nemo propter adhærentem imbecillitatem certus esse potest) non *simul certus est*, ita quàm directò contra- veram conscientiarum utilitatem, hæc ad stabiliendum regnum Pontificium subintroducenda utilitas, militet, nemo est, qui videre non possit. Quin tantum abest, ut sensu Papistico accepta Con- fessio,



fessio, aliquam in Ecclesia utilitatem habeat, ut multos in inexplicabiles difficultates pariat & vel ad delectionem & reiterationem peccatorum impellat, aut occasionem suppeditet. Memorabilia sunt, quæ in hunc finem circ. ann. 906. scripsit Marcus Eremita, cujus scripta ideò Bellarminus libr. de Script. Eccles. p. 198. indubium vocat, libr. *de his, qui putant se operibus justificari*, in Biblioth. Patrum Tom. IV. apud Amef. in Bellarm. enerv. Tom. III. p. 199. *Cum mens*, inquit, *per vitiorum abnegationem & renunciationem, spem unice considerandam apprehenderit, tunc inimicus sub CONFESSIOIS PRÆTEXTU, ante menti impressa vitia effingit, ut affectus gratia DEI OBLIVIONI traditos, iterum incensos exsuscitet, & hominem LATENTER injuriâ afficiat. Tunc enim si clarus & affectibus inimicus existat, necessario obtenebrabitur, detentus & confusus propter perpetrata vitia. Et si nebulosus adhuc, & voluptatum amans fuerit, omninò unâ perseverabit, & affecto animo cum occurrentibus affectionibus familiaritatem contrahet, ut mentis anticipatio TALIS memoria, & NON CONFESSIO inveniat. Itaque si volueris DEO offerre irreprehensibilem confessionem, SPECIATIM ERRORUM NE RECORDE- RIS. (nam valde inquinare animum) Verùm horum illecebra generosè perferto. Hæc ille. Cui consonant, quæ Antonius Succetuz in via vitæ æternæ lib. III. c. X. docet, & ex illo adducit B. Gerhardus Confess. Cathol. Tom. IV. pag. 56.*

§. 33. Valdè impertinentia E. sunt, quæ his *Masenius de fure & adultero* miscet. Aut enim evidenter notum erit Pastori, aliquem furem & adulterum esse, & adulteram vel scortum dimittere nolle, aut non; illo casu, & si recuset adulteram dimittere, ad dimittendam adulteram adeò non opus est *confessione* adulteri, ut si pœnitere volentem, furem vel adulterum esse, de facto Pastori constet, jure divino illum obligare possit & debeat *ad dimittendam* (ut moliter de re foedissima loquitur *Masenius*) *Amicam*, sub denegatione absolutionis & denunciatione præsentissimæ iræ ac vindictæ divinæ, *ut* ille turpitudinè fateri non velit: Si verò planè non, vel non apertè & certò constet de adulterio & furto, sed contenti solùm peccata hæc nota, neque sic ad obligationem intermittendæ scorta-

An nemo ad desistendum à furto & impunitate carnis cum effectu obligari possit, sine circumstantiali & expressâ peccatorum enumeratione?



tionis, aut ablati restituendi, opus est *simpliciter* expressâ ac circumstantiali confessione *furti* vel *scortationis* coram Pastore, sed *seriâ* saltem in corde pœnitentis, (sine qua vera pœnitentia esse non potest) factâ coram DEO horum peccatorum *agnitione, confessione, & detestatione*, quam, sicuti *verbum legis*, cum publicè, tum in privata confessione à Pastore seriò propositû & à confitente receptum, ceu *ignis & quasi malleus conterens petram*, (Jerem. XXIII. v. 29.) nisi obex malitiosè ponatur, indubiè apud pœnitentes operatur, ita per hanc, si *quis fortè* sibi furti aut impuritatis contra VI. præceptum conscius fuerit, ad dimittendum scortum, & *reddendum ablatum*, intermittendasq; carnis impuritates, tam fortiter in conscientia obligabitur, ut, si hac ipsa conscientia obtestatione quis non obligetur, sola confessio expressa ipsum adeò nunquam obligatura sit, ut potius, si *fateatur* delictum, & ab illo desistere non proposuerit, ceu pessimus hypocrita ore delictum confessus fuerit, à quo tamen desistere in corde sibi haud proposuit. Econtra, si *seriam & ἀνυπόκριτον* gravissimorum horum peccatorum agnitionem & detestationem in corde quis senserit, tam seriò, etiam *sine* confessione expressâ, ad desistendum à peccato propria conscientia ipsum obligabit, & ablatum, (quantum per rei naturam fieri poterit) tam verè restituet ac scortû ille dimittet, quàm certò se, *sine actuali operum carnis renunciatione* nullam esse apud DEUM remissionem peccatorû sperandam, neque qui *in carne* vivunt, aut carnis impuritates perpetrant, DEO placere posse, sed morte ipsis moriendû esse; *neque tales Christum attinere*, Rom. VIII. 13. Gal. V. 20. DEUMq; tam desperatæ hypocriseos fore vindicem, & si solis radios superantes DEI oculos fallere, (quos fallere tamen nequit) Ps. 94. v. 7-8.) peccataq; occultè imposterum perpetrare perrexerit, non impune ipsum hoc laturum, sed DEUM, quæ clanculariè cum Davide perpetrat, in apricum tandem producturum & *publicè puni-turum*, II. Sam. XII. 12. Ut adeò *obligatio ad desistendum à peccatis*, non præcisè circumstantialis peccatorum (NB.) *enumerationis*, abs qua illa esse potest, sed *veræ conversionis* coram DEO, mentisq; renovationis internæ effectus habendus fuerit.



§. 34. *Majore verò ONERE gravari debere conscientiam juris aut scortatoris, quàm ut in genere sese peccatorem agnoscat, & Sophisticum & falsum, & Papisticae carnificinae verum indicium est. Sicuti enim falsò & calumniosè supponitur, quasi ille, qui gravioris peccati, v. g. furti, adulterii, injustitiæ &c. sibi conscius, apud nos non teneatur hæc sua peccata specialia, si horum in conscientia convictus, agnoscere, ac DEO suo cum extrema illorum detestatione fateri, sed leviter quasi non de iis cogitando, in genere saltem se peccatorè agnoscere debeat, cujus prorsus contrarium Agenda nostra Luherana vivaq; praxis testantur, adeoq; sicuti mera confusio hæc est peccatorum, quorum meminerimus, AGNITIONIS, veræ confessionis, aut quæ specialiter conscientiam angunt, detectionis, & omnium in genere expressæ ENUMERATIONIS, ita falsissimum est, ulli conscientia propter peccata sua, etiam gravissima, jam territa ac afflicta, ullum gravius onus, quàm illis, qui non tam graviter forte peccarunt, imponendum esse. Quin potius veros Ecclesiae ceu ovium errantium fideles Pastores decet, omnibus modis in id incumbere, ut jam gravatas conscientias onere peccatorum, omni pondere ponderosiori, ministerio suo liberent, cum non ad gravandas, sed exonerandas conscientias à Domino suo missi sint. Certè prorsus contrarium voce, exemplo & mandato docuit mitissimus Salvator, dum Matth. XI. v. 28. & 29. OMNES QUI LABORANT & ONERATI sunt onere peccatorum, (ut rectè Jansen. Comm. in h. l. p. m. 101.) ad se, non sanè ad magis ONERANDUM, sed REFICIENDUM vocat, jugumq; suum, (non sanè inexplicabilem peccatorum explicationem & dinumerationem meritoriam) sed doctrinam Evangelii cum concomitante cruce, ut rectè itidem Jansenius Comment. in h. l. p. m. 102. ex S. Augustino explicat, in se suscipere monet, ad inveniendum requiem pro animabus, mandatumq; dedit prædicare IN NOMINE ejus poenitentiam & remissionem peccatorum inter OMNES gentes, Luc XXIV. 46. Neque dubitandum est, Masenium, si Christi & Apostolorum tempore talia ille docuisset, responsi loco accepturum, quæ Pharisei illi Matth. XXIII. v. 4. & Pseudo-Doctores, qui legem cum Evangelio prorsus, (ut nostri Jesuitæ) miscebant,*

Argumentum Masenii confutatur, quod ab inæqualitate peccatorum ducit,

Act. XV. 10. olim audivere: *Alligant ONERA gravia, & IMPORTABILIA, & imponunt in humeros hominum: digito autem SUO nolunt ea movere. Et, quid tentatis DEUM IMPONERE JUGUM super cervices Discipulorum, quod neque PATRES NOSTRE neque nos portare potuimus; sed PER GRATIAM Domini nostri JESU CHRISTI (non per meritoriam confessionem) credimus salvari, quemadmodum & illi.*

Maseni
primariū
argumen-
tum con-
futatur,
quod defi-
nitur ex
falsa defi-
nitione Ab-
solutionis.

IV. quod
desidera-
tur, est fal-
sa absolu-
tionis defi-
nitio.

§. 35. Ex quibus nunc facile intelligitur, quid de primario Masenii & sociorum argumento, quod de potestate remittendi & retinendi Pastoribus Ecclesiae in Apostolis datā ex Johan. XX. cap. desumere solent, (in quo etiam IV. quod desideramus, erronea scil. absolutionis definitio consistit) & Masenius noster pag. 104. valde speciosè proponit, ut à nobis suprā indigitatum, habendum sit. Quod si in formam redigas, tale est. *Quibus potestas remittendi & retinendi peccata disertè atque ita tradita est, ut tanquam Legati causæ, cognitores ac iudices inter lepram & lepram dijudicare teneantur, illi sunt, coram quibus distincta peccatorum, quorum quisque sibi conscius est, enumeratio, jure divino fieri debet. At qui Pastores Ecclesiae sunt illi, E. Majorem probare vult ratione; Quod citra hanc distinctam & specialem circumstantialemq; enumerationem nemo discernere possit, an remitti, an verò retineri peccata debeant.* Verum respondemus, nihil sani in hoc palmario argumento, nec majorem simpliciter veram, rationemq; ejus frivolum, nec minorem, in sensu Maseniano, concedendā esse. Majorem enim quod concernit, nemo hactenus, ut opinor, audivit Legati alicujus Regis, ad reconciliandos rebelles missi, officium vel potestatem in illo consistere, ut *singulorum confessiones de admisis criminibus* audiat, sed ut agnoscentibus delicta, veniam annunciet, & in gratiam nomine Regis illos recipiat; & si unquam id fortè factum, non tamen exinde ad *Legationem*, quā Ecclesiae Pastores Christi Legati & Angeli dicuntur, simpliciter liceret argumentari, cum Scriptura satis *tertiū* hoc explicuerit, in quo *comparatio* Pastorū cum Legato consistat; nempe quod non sint Legati aut iudices *αυτοκρατορικοί*, sed ut notanter S. Paulus II. Cor. V. 19. loquitur, & S. Anselmus in h. l. observavit, quod *PRO* Christo, qui

qui **PROPRIE** & plenipotentarius quasi **Legatus** *fuit Patris*, *legatione fungantur*; quomodo quæso? id Paulus antea explicarat, sc. *ponendo in ipsis VERBUM RECONCILIATIONIS*, h. e. ut ipse Cornelius à Lapide in h. l. rectè scribit, ponendo, instituendo **PRÆDICATIONEM** *verbi, quo DEO homines reconciliemus*, seu, ut paulò antè dixerat, *ut per nostram prædicationem persuadeamus hominibus fidem & poenitentiam, novam & Christianam vitam, itaque ipsos DEO reconciliemus*; vel ut S. Chrysostomus in h. l. Tom. IV. p. m. 71. ut solet, non injucundè **HORUM** *verborum sensum* exprimit; *Pater misit filium, qui IPSIUS nomine exhortaretur, atque apud hominum genus LEGATIONIS manus susciperet. sed quoniam ille necatus abscescit, nos legationi illi successimus, atque, & ILLIUS & Patris nomine, vos exhortamur. Nos enim ipsius muneri successimus.* Et paulò post, officia Legati S. Pauli explicaturus, dicit equidem, S. Paulum *ut Legatum missum causam disceptantem & JURA proferentem dicere, EUM, qui non noverat peccatum, DEUM peccatum fecisse*, id verò non intelligit de jure S. Pauli aut Pastorum aliquâ potestate propriè **judiciali**, quæ ad modum juris civilis cum causæ cognitione necessariò exerceri debet, sed (NB.) de **jure DEI**, quo ille contra homines *quidem poterat, sed ex gratia uti noluerit*, dum filio potius suo peccata hominum imputaverit, & ille, *qui læsus fuerat, PRO ILLIS, qui læserant, Filium cruciari permiserit, per suosq; Legatos roget, ut DEO homo reconcilietur.* Quæ omnia, extra confessionem & enumerationem peccatorum necessariam, ab Apostolis olim, integrè servato ipsorum Legationis munere, & facta fuisse, & hodiènum, integro manente Pastorum munere, itidem fieri, tam evidens, quàm certissimum ac apud Pontificios concessum est, gentes sine **speciali confessione** peccatorum primùm ad DEUM conversas, & ipsi reconciliatas fuisse, neque necessum esse fateri peccata, quæ *ante Baptismum quis perpetraverit*: ut Concil. Trident. concedit. A munere E. legatorum (spiritualium s. Pastorum **ministeriali**, ad necessitatem recensionis peccatorum omnium argumentari, planè frivolum est.

§. 36. Neque unius teruncii melior ratio est *Maseni* de judicio Pastorum ceu judicio *inter lepram & lepram*; Cùm enim
argu-



argumentum allegoricum non modò non sit argumentativum, (juxta ipsum Bellarm. lib. III. de verbo DEI c. III.) sed & judicium in V. T. inter lepram & lepram non fuerit *jurisdictionis*, sed saltem *discretionis* inter notoriè leprâ infectos & sanos, & si ad N. Testamentum id applicari debeat, judicium *discretionis* & in spiritali lepra notoriè perseverantiû excommunicationis, saltè subinferat, imò cùm, si aliquis valor hujus typi fuerit, judicium hoc non faciet, ut peccatores *per confessionem* mundentur, sed ut antea mundati saltem mundi ostendantur & innotescant, (sicuti Jus Canon. c. *Convertimini*. dist. I. de pœnit. huc rectè typum applicat, dum, *leprosus*, inquit, *antequam ad sacerdotem* Luc. XVII. Matth. VIII. *venit, emundatur, dum per contritionem cordis, ANTE confessionem oris peccati venia indulgetur,*) ideò nemo videre potest, quid judicii discretionis de leprosis publicè notis, & jam, *antequam* ad Sacerdotes venerint, *mundatis*, ad inferendam jurisdictionem in peccatores haud publicè notos, & à peccatis, *antequam* secretò illa fateantur, non purgandos & justos *faciendos*, hic facta applicatio, facere plus possit, quàm ut, quod *Masenius* hac ipsa applicatione probare volebat, directò evertatur, cùm, nisi duo contradictoria simul vera esse debeant, fieri non possit, ut *pœnitens* ante confessionem remissionem accipiens, similis sit leproso jam *ante* ostensionem Sacerdoti factam, mundato & testimonium factæ mundationis accipienti, eo ipso tamè ipsi dissimilis sit, quippe qui (juxta Advers.) in ipsa confessione primum mundationem à peccato accipiat, hoc est, in illo, in quo, secundum idem, leproso dissimilis est, sit similis.

§. 37. Quod verò secundum membrum Subjecti majoris *Maseni*, cum ejus probatione, concernit, quod coram illis, qui cum *causæ cognitione* de peccatis judicare debeant, speciatim peccata illis pœnitentes fateri oporteat, *aliàs neminem discernere posse, an remitti, an verò retineri debeant*, est lusus in Phrasi, *cum causæ cognitione remittere vel retinere*. Quod loquendi genus intelligi potest *αυτοκρατορικῶς & civiliter*, vel *δικονικῶς*, *ministerialiter* seu Theologicè. Illo modo innuit potestatem *propriam* jure quæsitam, in reos, & publicam quietem turbantes, vel alias partes litigantes, cum causæ cognitione, an bona vel mala, justa vel injusta, & pote-

potestate pœnam æquam & *proportionatam* satisfactoriam imponendi vi, vel dimittendi; si innocentes inveniantur; Hoc verò modo & abusivè notat saltem Ministerium *alieni beneficii*, & delegatam potestatem impertiendi & annunciandi in nomine Christi remissionem peccatorum omnibus illis, qui in peccatis laborant & onerati sunt, & verâ pœnitentiâ remissionem peccatorum apud DEUM, quem offenderunt, quærunt, illamq; sibi fide in Christum applicant, & ministerio verbi sibi porro illam obsignari ferio *petunt*. Si hoc posteriori modo Subjectum majoris intelligatur, falsa est ejus consequentia. Non enim sequitur, ideò circumstantialiter recensenda esse & revelanda peccata Pastori, ut remissio peccatorum, (quæ tamen, ut supponimus, *DEO suo*, qui corda inspicit, factus est pœnitens, quorumq; remissionem in nomine Christi oravit, & quam indubiè se, ex promissione DEI, obtenturum credit & sperat) pœnitenti *ministerialiter* impertiri seu annunciari per ministerium possit, sed sufficit, DEUM ceu judicem supremum, imò Patrem placatum causam *intus* cognoscere, & *ministerium* intelligere petentem remissionem *non esse impœnitentem*, h. e. ex lege peccata sua agnoscere, in Christum credere, & *vitam studiosè emendare*, neque in notoriis & contra conscientiam perpetrandis peccatis *pergere velle*. His enim omnibus & singulis *sine cordium scrutatione ulteriori*, mandavit DEUS, in nomine JESU annunciari remissionem peccatorum *gratis* sine ullo *meritorio opere*, per Christum accipiendam. Luc. XXIV. v. 47. Act. X. v. 43. Rom. III. 24. 25. 28. cap. V. 1. Neque in potestate Pastoris ullo modo est, an *talibus* peccata in nomine DEI, (cujus legatione saltem fungitur,) remittere, an verò retinere, aut *quænam* peccata remittere, *quænam* retinere velit. Christus enim Joh. XX. non (NB.) duo *genera* peccatorum, sed duo saltem *genera peccantium*, sc. *pœnitentium* & *non-pœnitentium*, constituit. Est E. Episcopus saltem administrator *alieni beneficii*, & sequi debet *strictè* instructionem sui Principalis cœlestis, qui nec ipse in privata absolute requirit enumerationem delictorum, Matth. IX. Luc. VII. neque Apostolis, ut requirant, mandavit, qui neque ullibi illam requisivisse leguntur, ut constat. *Possè* verò veros *Pœnitentes*,

L I

absque

In potestate Pastoris non est, an Pœnitentibus velit remittere peccata, nec ne.

absque enumeratione omnium peccatorum mortalium esse, h. e. posse ferio homines suas transgressiones agnoscere & detestari, veniam apud DEUM per Christum sperare, & meliorem vitam stipulari, tam verissimum est, quam absurdum fuerit, vel cogitare saltem velle, Christum & Apostolos, *generali* professione poenitentiae & fidei contentos, & sine recensione peccatorum speciali poenitentes absolventes, eosdem tanquam *impoenitentes* absoluisse; quamque verissimum est, Adversarios non negare posse, saltem *decumbentibus* in agone impertiendam esse absolutionem, etiam publicorum delictorum, etiamsi & verbis fateri non possint, sicuti Leo I. scribit Epist. 91. ad Theodorum Forojulensem Episcopum p. m. 254. quamque largiter ab Adversariis conceditur, & concedi necessum est, peccata quaedam *nec cognita, nec enumerata*, (quae scilicet post diligentem discussionem memoriae non occurrunt,) verè remitti.

§. 38. Nempe, ut saepius diximus, vera poenitentia non nititur *expressa enumeratione* occultorum delictorum, aut cum illa recurrit necessario, sed operatione Spir. S. intus in corde hominis per verbum efficaciter agente, (neque enim dubium est inter illos, qui verbum quotidie audiunt, ac Evangelicam vocem publice praedicatam recipiunt, verè poenitentes esse, & *generali* hac annunciatione, remissionem peccatorum *absque enumeratione* delictorum, quotidie accipere) seu, nititur illa *verbo DEI*, in animo hominis, cum Ministro verbi divini agentis, & sibi in hoc opere non cum homine solum, sed *CUM IPSO DEO*, in cujus conspectu illa agantur, quiq; corda scrutetur, & irrideri nolit, esse negotium, jam convicti, seriam peccatorum agnitionem & conversionem operante. Quin si poenitentia *respectu cognitionis* etiam, quae apud *Pastorem* esse debet, consideretur, nec sic necessario supponit enumerationem delictorum, sed saltem *externa* verae poenitentiae signa, voce, desiderio, oratione seriatim, quandoque etiam lachrymis expressa. Unde rectè dicitur Dist. I. d. Poenit. c. II. p. m. 617. *Lacrymae latent delictum, quod pudor est CONFITERI.* Impertinens planè ergò est, à potestate remittendi peccata poenitentibus & retinendi impoenitentibus *ministeriali*, ad enumerationem delictorum occultorum expressam, argumentari velle, cum, qui sint impoenitentes,

aut

aut quibus peccata retineri debeant, h. e. qui peccata non agnoscant & detestentur, & qui sint poenitentes, quibusq; remitti debeant, quantum ad *ministerium* & cognitionem *CONDITIONIS* Poenitentis, quem *clavem discretionis* appellant, sufficit, sine illa satisfactoria & meritoria enumeratione sciri, adeoq; sine speciali & expressa delictorum enumeratione, (modò *coram DEO* seria cordis de peccatis dolentis effusio adsit) ministerialiter peccata remitti possint.

§. 39. Quod si verò II. modo *τὸ cum causæ cognitione* remittere, accipiatur à *Masenio*, Majorem quidem veram, sed Minorem esse falsissimam dicimus. Inauditum enim hæctenus fuit in Ecclesia, Ministros Ecclesiæ, h. e. Episcopos & Presbyteros habere potestatem propriam s. *ἀυτοκράτορικῶν* remittendi peccata, *jure* quodam *suo* quæsitâ aut hoc sibi debitam, propter quam poenitentes occulta delicta, ut poena delictis proportionata illis imponi possit, fateri cogantur. Hanc enim soli DEO competere in confesso est. Dicente enim S. Ambrosio c. Verbum DEI. quæst. LI. distinct. I. de poenit. & apud Lombardum 4. Sentent. Distinct. XVIII. lit. D. in hunc finem citato, vel sicuti apud ipsum Ambrosium lib. III. de Spir. S. c. XIX. verba extant: *Per spiritum s. peccata donantur, homines autem in remissionem peccatorum MINISTERIUM exhibent: NON jus alicujus potestatis (proprie) exercent. Ille, SOLUS peccata dimittit, qui solus pro peccatis nostris mortuus est;* Et S. August. d. I. ap. Lomb. rectè dicit: *Nemo tollit peccata, NISI SOLUS DEUS, qui est agnus tollens peccata mundi: Tollit autem & dimittendo, quæ facta sunt, & adjuvando, ne fiant, & perducendo ad vitam, ubi omnino fieri non possunt.* His aliisq; pluribus, subjicit Lombardus, *testimonis docetur, Dominum solum PER SE peccata dimittere, & sicut dimittit quibusdam (poenitentibus) ita & aliorum quorundam (impœnitentium) peccata retinet.* Ubi obiter notanda est verborum S. Ambrosii depravatio in suprâ dicta Distinctione, quâ sine omni sensu & ratione, hæc verba: *sacerdos est JUDEX*, his, *sacerdos officium quidem suum exhibet*, immediatè præmittuntur, quæ tamen non in Ambrosio leguntur, neque propter evidentem repugnantiam legi possunt. Unde Glossator rectè

subiicit: *confectum hoc caput esse ex Ambrosii verbis, collectoris tamen ARBITRATU dispositis.* Quin tota Antiquitas uno ore fatetur, DEUM *per vocem & manum Ministerii non nudè, (ut fortè Calviniani sentiunt) remissionem peccatorum significare, sed re ipsa peccata pœnitentibus remittere, & voce Pastoris Evangelici, (sic enim veros Pastores ipse Lombardus vocat dist. dict. lit. F.) nomine & vice, imò ipsis verbis Christi, in remissione sua credentes ita confirmari & certiorari, ac si ab ipso Christo, (sicuti etiam quoad rem ipsam & rei effectum reverà fit) absolutionem his conceptis verbis audirent; Remissa, Fili, tibi sunt peccata tua, vade in pace; Neque tamen id fieri separatim à Christo & sine Christo, vel jure proprio ministerii, sed autoritate Christi, & à Christo per verbum in ministerio vivificum, adeoq; ex actione Principali DEI & ministeriali Pastoris, fieri unum ἀποτέλεσμα, scilicet Absolutionem.*

Vera Absolutionis natura ex Antiquitate, cum primis Alexandrinis explicatur,

§. 40. Rotundè hac de re B. Hieronymus lib. VI. in Esa. c. XIV. Tom. V. oper. edit. Basil. Anni 1516. p. 36. b. *Funibus, inquit, peccatorum suorum unusquisque constringitur, quos funes atque vincula SOLVERE possunt & Apostoli, imitantes Magistrum suum, qui eis dixerat: Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo: solvunt autem eos Apostoli SERMONE DEI ET TESTIMONIIS SCRIPTURARUM, & exhortatione virtutum.* Cui succenturiatur ex Alexandrinis nostris S. Cyrillus lib. XII. in Johan. cap. LVI. Tom. I. op. p. m. 699. qui admodum hîc perspicuus; explicans enim illud Joh. XX. *Quorumcunque remiseritis &c.* Et certè, inquit, SOLIUS VERI DEI est, ut possit homines à peccatis solvere. Rationem addit solidissimam; Cui enim, subjiciens, alii prævaricatores legis liberare à peccato licet, NISI legis ipsius auctori? sic enim etiam in rebus humanis fieri conspiciamus. Quippe nemo leges Regum impunè reprobatur, nisi Reges ipsi, in quibus prævaricationis crimen locum non habet. Absurdum tamen non est, peccata remitti posse AB ILLIS, qui spiritum s. in seipsis habent. Nam CUM ipsi remittunt & detinent, spiritus, qui habitat in eis, PER EOS remittit & detinet. Hoc duobus, inquit porro, fit modis; Nam aut credentes & vitæ sanctimoniam probatos ho-

mines.

mines, ad Baptismum INDUCUNT, & indignos inde expellunt, aut Ecclesie filios peccantibus quidem increpant, POENITENTIBUS autem indulgent.

§. 41. Nec per naturam rei, aut illasâ justitiâ & misericordiâ DEI, meritoq; Christi integro, aliter fieri posse, omninò arbitrandum est. Etenim fingi non potest, DEUM, concedendo potestatem ministerialiter remittendi peccata Apostolis, suo quasi juri renunciassè, atque in solidum in illos & successores eorum ita illud transfudisse, ut illi, peccata hominum occulta etiam cordium recessus & concupiscentias scrutarentur, coram suo quasi quodam foro criminali, judicialiter illa cognoscerent, & an remitti, an retineri peccata, salvâ justitiâ possint, aut quomodo pro quolibet pœna digna imponi possit ac debeat, dictatorio more definirent, quin potius hæc ipsa, in DEUM & meritum Christi injuriosam, & super ipsam justitiâ DEI sese extollentem superbiam esse, putandum est, qui, ne miseri peccatores in judicium venirent, atq; se veram culpâ suis debitam pœnam sustinerent, Filium in mundum misit, ut omnis qui crederet, (non qui satisfaceret) remissionem peccatorum acciperet, (Act. X. 43.) nec periret, sed haberet vitam æternam. Joh. III. 16. Nec sine mero acatholicismo vel cogitari potest, homines in remittendis peccatis aut magis misericordes, aut irrogandis pœnis & imponendis satisfactionibus justiores esse posse, quàm fuerit justus simul & misericors DEUS, qui omnium nostrum peccata UNICO sponsori & mediatori, CHRISTO JESU, pretiosissimo & sufficienti merito eluenda, imposuit, justèq; ac consummativè soluto debito, Joh. XIX. v. 30. se verè poenitentibus ac per fidem hoc sufficientissimum ἀντίλυτρον sibi applicantibus, gratis, etiam abundantia delicta remittere velle, promisit, Rom. V. 20.

§. 42. Atque hæc bonos quosdam viros in Concil. Tridentino olim moverunt, ut hanc imaginariam potestatem propriè JUDICIARIAM ex Ecclesia eliminatam voluerint, benè videntes, & in DEUM injuriosam, & cum peccatis ritè à meris hominibus æstimandis incompatibilem, ex Scriptura verò, cum ipsa, & quæ hac potestate nititur, confessione auriculari, indemonstrabilem esse. Verba Historici Concil. Trident. ex lib. IV. p. m. (edit. in 4to) 401.

Ll 3

& seq.

Pii quidam
Viri sub
tempus
Concili
Trident.
veritatem
agnoverunt.



& seq. quia digna sunt, ut legantur, subijcimus. Illud verò supra omnia admirationi fuit, inquit, quod integram & singularem cum circumstantiis omnibus peccatorum confessionem inde evincere satagebant, quod neque iudicium sine causa cognitione exerceri, neque in poena poenitentibus imponenda equitas servari poterat, peccatis sacerdoti in genere solummodo cognitis: tum quod Christus ipse hoc genus confessionis ideo præcepisset, quò condignam poenitentibus poenam possent imponere. sic sanè ridiculos mortales facere, & palam fatuos censerì, quibus quidvis quantumvis absurdum ipsis asserentibus tanquam fide dignum persuaderi possit. Neminem enim esse adeo simplicem, qui nesciat, aut non videat, à Confessariis quotidie poenitentiam præscribi, non modo delictorum meritis non ponderatis, sed ne minimà quidem eorum habità ratione. Qui verba Concilii audiat, credat forsàn esse Confessariis trutinam, ad quam peccatorum minutissima & veluti atomos expendant. Atqui nimio plus compertum esse, multorum homicidiorum, adulteriorum ac furtorum reis sæpenumerò in poenam denunciari orationis Dominicæ quinque vicibus recitationem. Esseq; familiare Confessariis plerisque omnibus, etiam literatis, in poena denuncianda dicere, se partem modo poenitentiae imponere. Quorsum igitur exactam illam poenitentiam ad modum delictorum? aut cui fini particularum peccatorum cum suis circumstantiis enumerationem? sed quid opus est longius provehi, aut plura consuetari, cum ipsa synodus doctrine capite IX. & anathemate rursus XIII. statuatur, poenis pro peccato vindicando spontè susceptis, & rebus adversis patienter toleratis apud DEUM satisfieri. Itaque neque necessarium, neque justum, aut poenam, quæ peccato respondeat, in confessione imponere, aut particularem peccatorum enumerationem ea de causa, ut illi ajunt, institutam, adhibere. Verùm, ut, quæ dicta sunt, in considerationem non veniant, negabant omnino fieri posse, ut Confessarius, quamlibet doctus, attentus ac prudens, audità hominis moderati de admissis unius anni confessione, multoq; minus, si insigniter flagitiosum plurium annorum commissã retegente audiat, adeo certum de poena peccatis ejus debita iudicium ferat, canonibus etiam cuicumque peccato suam poenam

nam assignantibus adjutus, ut non dimidio plus erret. Imò ne ejusmodi quidem Confessorem, etiamsi peccatorum catalogum in scriptis habeat, & plusculis diebus secum expendat, ita circumspicere stateram unquam appensurum, ut poenas peccatis aequilibras faciat; tantum abesse, uti, (quod bodie fit) extemplo ab audita confessione, rem acu queat attingere. Quamobrem Concilii Patres melius rectiusq; facturos, si ceteros mortales non ita despiciant, neque tam malefanos ac records existiment, ut his, quæ tam absurde atque inepte ab ipsis statuuntur, credendum habeant. De reservatione casuum cum Theologis Lovaniensibus & Coloniensibus pariter sentiebant, ea Curia Romana avaritiæ, & dominandi cupiditati imputata. Hæc ille. Quibus sicuti prætoria, causæq; cum cognitione obtrusa Masenii potestas, cui circumstantialis peccatorum enumeratio innititur, è fundamento eversa, ita quicquid à Masenio huic superstructum, simul eversum esse intelligitur.

§. 43. Cùm sua sic non poterat defendere Masenius, aliorum causâ illa vestire voluit putans, ni Papisticam peccatorum enumerationem concedamus, omnem non modo confessionem, sed & absolutionem à poenitentia nos excludere, illud, inquit, sic evinco: Ibi nulla potest esse peccatorum absolutio, ubi certum est, esse remissa peccata. sed Lutheranis fidelibus certum est, fide divinâ, sibi remissa esse peccata. E. ibi nulla potest esse peccatorum absolutio. Majorem probat: quia, (ne quid desit absurdi nobis intentati,) dicit, neminem fidelium confiteri apud nos posse, se esse peccatorem, nisi fidem suam abneget, hoc est, credat sibi nondum remissa esse peccata, aut certè ea de re dubitet. Quid igitur, infert porrò, apud hos facit absolutio, nisi quod vel actum agat, vel idem destruat.

§. 44. Verumenimverò, si fortius religionem suam non evicerit Masenius, quàm hæc absurda ex nostra confessione demonstrarit, vereor, ne ille & ante victoriam triumphum cecinerit, & brevi totum Papismum ejurare cogatur. (1) enim cuilibet patet, si argumentum Masenii, ut verba jacent, assumatur, non quod ille volebat, sed planè ejus contrarium infallibiliter concludi. Non potest enim ullibi verior esse absolutio, quàm ibi, ubi divinâ fide certum, peccata esse remissa: Cùm peccatorum remissionis certitudo

Masenii argumentū, quo, apud Lutheranos veram Absolutionem non esse, probare voluit, convellitur.

*ritudo sit adequatus effectus absolutionis: sicuti nullibi certius est, diem esse, quàm ubi certum, solem fuisse ortum, aut solutionem summæ centum Imperialium ibi esse, ubi illam factam esse, quis intelligit. Unde invertendum prorsus argumentum est, & dicendum, ideò in Ecclesia Lutherana, s. apud Lutheranos fideles, esse veram absolutionem, quia apud illos fide divinâ certum est, & esse possit, verè remissa peccata; & ideò apud Papistas, quia apud ipsos incertum semper est, & incertum manet, (ut suprâ evicimus) an peccata sint remissa nec ne, absolutionem reverà nullam esse. Verùm quia fortè melius sensit, quàm se explicuit, & non tam de statu, quàm actu absolutionis, quæ dixit, intelligi vult, non imputabimus hic magnum errorem Masenio, nisi quod ipse errorem passus, & suo argumento, quo sua evincere voluerit, seipsum vice-rit, ac evidenti argumento innocentiam nostram probaverit. Neque nunc (2) valdè morabimur, argumentum Masenii quatuor terminos expressè continere, medius terminus enim in majori generaliter, ut de quavis certitudine accipitur, in minori modificatè & specialiter pro certitudine divina ponitur, qui si utrobique æquè strictè acceptus fuisset, res fuisset evidentior. III. E. responde-
 mus, meris studio dissimulatis æquivocationibus ludere Masenium in verbis certitudinis & absolutionis. Absolutio enim sumitur vel sensu Papistico, & sic notat jurisdictionalem & peccatis proportionatè indictâ pœnam, & jure quodâ à Christo transfusam absolutionem, ante quam pœnitens nullo modo certus esse potest, sibi remissa peccata; vel sumitur sensu scripture & Catholico; & sic denotat Pastorum Ecclesiæ ministerialem remissionis annunciationem, & per hanc verè pœnitentibus, h. e. peccata seriò detestantibus, & in misericordia DEI per Christum promissâ, sperantibus & confidentibus, sperandæ & acceptandæ remissionis, vel jam acceptæ, divinitus institutam certificationem aut confirmationem. Quo sensu ipse Johannes Ferus Moguntinus Concionator, (cui Sixtus Senensis lib. IV. Biblioth. p. 269. hoc testimonium dat, quod parem in officio Evangelicæ prædicationis Catholice Germanorum Ecclesiæ illâ ætate non habuerint.) lib. II. in c. IX. Matth. edit. Anni 1559. (Lugdunensem enim Anni 609. censores corruperunt) non inicitè scribit:*



& DEUM peccata non *imputaturum* sperantem, h. e. fidelem in primo fidei gradu constitutum, non esse opus verâ absolutione, tam falsissimū est, quàm certò & apud omnes constat, propter tales verè fideles, h. e. pœnitentes, misericordiã DEI quærentes & desiderantes, & *vivã*, quam vis tenerã *fide* verbum promissionis apprehendentes, veram & efficacem absolutionem à Christo in Ministerio esse institutam. Quamvis enim fideles ex verbo DEI certi sint, DEUM nullum de peccatis suis seriò dolentem rejecturum, adeoq; & se benignè recepturum, nec in iudicium cum ipsis intraturum, imò verò in cœlo peccata sua propter Christum, quem fidei oratione, ante thronū gratiæ secum attulerunt, reverà remittere, (*quæ si non crederent, sanè non essent fideles*) tamen, quia propter adjacentes & quotidie obrepentes *infirmities*, legisq; minitantis memoriam, magnam *quandoque* fidei infirmitatem sentiunt, & *ab ipso corde suo condemnantur*, ut loquitur Johannes I. Epist. III. 20. DEUM autem per verbum suum, ministerio suorum Ministrorum dispensandum, contra has infirmitates solatium proposuisse, adeoq; per hoc, factã ejus ad pœnitentes *speciali applicatione*, peccata cœlitus remittere, & per hoc, se nunc *illa remisisse*, credentes certos reddere velle, constantissimè norunt, ideò hanc tam largam benevolentiam DEI in *constituto ordine* sacro venerantes, magnã animi fiduciã ipsum DEUM in ministris suis accedentes, atque hoc in casu ipsius DEI Legatorum *ORE*, nunc *generaliter & ordinariè*, (quoties sc. verbum Evangelii prædicatur,) nunc *specialiter & extraordinariè* (in speciali confessione) ab omnibus peccatis *absolutionem*, vel jam *acceptæ* confirmationem, ejusq; sensum in corde, plenã animæ tranquillitate, recipiunt; haud secus ac subditus apud Regem suum in gratiam rediturus, per literas propriã manu Regis exaratas, de redintegratã gratia Regis certior fieri quidè potest, *magis tamen certior fit*, omnemq; dubitationem mittit, si eandem, quam scripto testatus fuit Rex, idem per *Legatum*, ideò cum plena deferendæ gratiæ potestate præcisè missum, ipsi confirmari faciat.

§. 47. Ex quibus simul patescit, *minorem Masenii propositionem*, si certitudinem ratione *confirmationis*, & factã in conscientia

tia

tia *i. anqvillationis*, adeoq; fideles Lutheranos considerat, ut *justi-*
ficatos, & *SIMUL* jam *erectos*, aut in fide ac fiducia *valentiores* fa-
 ctos, esse falsam & nobis afflictam, quamvis majorem hac ratione
 concedamus. Sicuti enim verissimum est, ubi apud fidelem fide
 divinâ citra omnem carnis & spiritus luctam & imbecillitatem
 certum est, sibi peccata à DEO *per* verbum in ministerio opero-
 sum jam *remissa*, adeoq; conscientia *plenè tranqvillata*, ibi tunc,
 & *qvamdiu* illa certitudo manet, non *opus esse* absolutione *specia-*
li, si illam ratione *actus*, non *status* consideres; in *statu* enim hoc
 constituti non statim iterum absolutionem petunt, sed de illa con-
 firmati, DEO pro accepto beneficio gratias agunt, & ideò piis ope-
 ribus studere incipiunt & pergunt, ita falsum est, Lutheranos fi-
 deles *semper* fide divinâ *qvè* certos esse, sibi, *in praterito*, omnia
 peccata remissa. Fingit enim sibi *Masenius* fideles in hac mortali-
 tate perfectos, qui nullam unquam *in fide imbecillitatem*, aut pec-
 cata, propter quæ dolere & iram DEI *re-vereri* oporteat, sentiant,
 vel calumniatur potius, quasi tales fideles nos Lutherani habeamus
 aut esse patiamur, qui de remissione peccatorum *SEMEL* factâ car-
 nali quadam præsumptione securi, ulterius de *conservanda* vel *ite-*
randa remissione peccatorum suorum *nil cogitent*, peccata ac næ-
 vos suos DEO *qvotidiè* non fateantur, sed *sine* quotidiana poenitentia
 illa *JAM* remissa esse opinentur, nec remissionem peccatorum, quæ
 quotidie perpetrant, desiderant, quærant, ac coram DEI ministro,
 in majorem fidei suæ confirmationem, à DEO orent ac impetrent,
 vel fingit etiam, quasi fideles, (non quæ *fideles*, sed quæ homines,
 qui labi sic possunt, sunt) peccata mortalia, (h. e. quæ actu, quo per-
 petrantur, mortem inferunt) perpetrare non posse, adeoq; *novâ con-*
versione quandoque illos opus non habere, statueremus; Quæ sicuti
 omnia falsa, ac à *Masenio* aut non intellecta aut conficta sunt, ita *non*
esse absolutionem apud Lutheranos fideles, per hoc tam non est à
Masenio evictum, quàm per hoc idem, veram apud Lutheranos
 absolutionem esse, evidentissimè demonstratum est, quod sic evinco:
ubi homines de peccatis suis mortalibus, & venialibus, serio dolent,
iramq; DEI & legis rigorem sentiunt, atqve in hoc suo angore ac
pondere peccatorum ad gratie thronum confugiunt, remissionem

per Christum orant, illamq; se accepturos divinâ fide confidunt, ideoq; nomine Christi, absolutionem, omnibus fidelibus in Christum indubiè promissam, & ab ipso DEO per Ministerii vocem impertiendam, accipiunt, & illâ acceptâ, tranquillatâ conscientiâ DEO suo submisso letoq; ore gratias agunt, ibi veram absolutionem indubiè esse oportet. Impium enim esse necessum est, qui hoc neget. Atqui apud Lutheranos hæc omnia esse, & de iis vera esse, confessio & praxis quotidiana, tum illa, quæ diximus, docent. E. apud illos veram absolutionem esse, necessum est.

Maseni-
næ insul-
tationes con-
tunduntur

§. 48. Facessant igitur Maseniane insultationes, quas p. 105. cruciat, neminem fidelium, ajens, apud nos se posse confiteri peccatorum, nisi fidem suam abneget, & credat sibi nondû remissâ esse peccata; absolutionemq; nihil nisi actum apud nos agere, ac fidem destruere; Facessat cavillatio, quâ, quid, inquit, retinere sacerdos unquam potest, quod ipsum fide solâ remissum asserunt? Facessat nugatio illa; Quid fides prestat, si illa prædicatio s. annunciatio rem peragit? an fortassè hanc remissionem inter se partiuntur auditor verbi & prædicator, quia fides sola non sufficit; aut se sufficit, otiosa absolutio est. Potestas igitur remittendi umbra, non res est. Facessant, inquam, tales cum mera inscitia ac perversione divini ordinis colluctantes nugæ Maseniane. Nemo enim fidelium apud nos est, qui, dum se & naturæ depravationem considerat, & se peccatorem non agnoscat, per Christum tamen fide apprehensum & fidei oratione, remissionem obtenturum, & post illam se obtinuisse non confidat; Proinde non opus est, ut fidem abneget, cum & se peccatorem esse, (sc. si ad legem se conferat) & peccatorum remissionem propter Christum accepisse, SIMUL credere possit.

§. 49. Nequaquam etiam actum agit absolutio apud nos; sed sicuti apud ILLOS, qui ANTEA DEO peccata non confessi, neque fide remissionem peccatorum obtinuerunt, NUNC ubi DEO coram ejus ministro peccata fatentur, absolutio veram peccatorum remissionem PRIMUM, ceu DEI & ejus Ministri opus, (ut antea diximus) operatur; ita in illis, qui antea remissionem obtinuerunt, ut, quod verâ, infirmâ licet fide, apprehenderunt, firmiter apprehendere possint, operatur; & quod se certò obtenturum

turum confidebant, illud & se obtinuisse, jam absolutio confirmat; Quem in lucta constitutum & viderat Sacerdos & expertus erat, ipse confitens ante absolutionem, illum post absolutionem tranquillata conscientia victorem evasisse, uterque lætatur. Puerilis etiam vox sanè aut Papistica negatio est, sacerdotem retinere quid debere, quod solà fide remissum. Nihil enim retinere potest & debet Sacerdos, quod fide in Christum condonatum, sed quibus DEUS condonare vult, & condonat, eis per Ministros verè condonat, & si retinere velit Sacerdos, ubi DEUS absolvit, frustra ageret, neque hoc in casu, fideles ad ministerium, sed DEI infallibile verbum alligati, ab ipsoq; DEO remissionem accepisse, credendi sunt. Quod verò, deficiente fide in Christum, remitti non potest, id neque Pastor suà autoritate remittere, & contrà, quod presente primo gradu fidei apud DEUM remissum iri, & accedente secundo gradu, remissum jam esse, fideles credunt, illud etiam remissum iri & remissum esse, ex verbo DEI testificari, & certiorare Pastores debent & possunt, adeoq; quæ remittenda, quæ remissa, quæ non remittenda, sed quæ retinenda aut retenta, vi acceptæ instructionis ministerialis indicare, judicare, discernere, ac hac suà divinitus operante indicio, judicio, & discretionem, seu gratiæ aut oblatione aut iræ denunciatione, peccata aut retinere aut remittere possunt; fide & ministro, h. e. utroque sic operante, quod suum est.

§. 50. Antiquitati hac in causa multum se credere non ausus fuit Masenius, proinde, quæ ex S. Patribus allegari ab aliquibus solent, prætermittit, citra dubium sibi conscius, ea huc prorsus non pertinere aut pertinere posse, cum constet, illa aut de Confessione, quæ fit coram DEO, (quale est illud S. Chrysostomi Homil. XX. in Gen. quem, DEO, ceu animæ Medico cœlesti, peccata fateri ideò nos debere, agentem, quod DEUS sensum peccatorum nos velit habere, non quasi ille nesciret, ineptè ad suam auricularem, circumstantialem & necessariam meritoriamq; confessionem trahunt Adversarii) aut agere de confessione publica delictorum publicorum coram Ecclesia, & reconciliatione cum illa, quæ sicuti naturà diversa est à Papistarum confessione sacramentali, & à nobis non negatur, sed in Ecclesiis nostris, quantum ad rem ipsam, retinetur, &

Masenius ex Antiquitate refutatur,



à Nostris vocatur öffentliche Kirchen-Buß / idè non est, quod his longius immoremur. Legenda hac de re Apolog. August. Confess. artic. de Confess. Form. Concord. inserta, p. m. 183. Id quod olim Erasmus Roterodamus in Annot. ad Epist. Hieronymi de obitu Fabiolæ rectè observavit, cum inquit: *In hoc labuntur Theologi quidam parùm attenti, quòd, quæ veteres scribunt de publica & generali confessione, ea trahant ad occultam, & longè diversi generis.* Et quamvis exempla sint, cum primis apud Cyprianum lib. de Lapsis p. m. 126. (ut doctissimè hæc observavit magnus noster Chemnitius part. II. Exam. Concil. Trid. de Confess.) quæ testentur, disciplinam illam Ecclesiasticam publicæ confessionis & pœnitentiæ eò usque processisse, ut, si qui animum *propositum*, saltè habuissent patrandi publici criminis, etiamsi non subsecutum fuisset ipsum facinus, *MULTI* (non omnes tamen) voluntariè (ad meliorem informationem) Sacerdotibus hoc indicârint, & postea publicæ confessioni se subjecerint; nequaquam tamen exinde probatur, fuisse hoc præceptum *necessarium* vel consuetudinem *UNIVERSALEM*. Dicit enim Cyprianus, fecisse hoc, qui *fide majores & timore meliores fuerint.* Neque loquitur Cyprianus de omnibus, singulis & quibusvis peccatis cogitationum & voluntatis sacerdoti confitendis, sed disertè explicat, illa se intelligere, quæ de publicis criminibus perpetrandis voluntate concepta fuerant & de proposito abnegationis in persecutione.

S. 51. Quæ quamvis verissima sint, & verum Cypriani sensum esse, ocularis inspectio evidentissimè monstret; non piguit tamen Masenium hunc locum part. III. Medit. Concord. p. 307. ceu cramben toties recoctam iterum apponere, quin vanitati huic duas pejores d. l. addit. Unam quidem, quòd Chrysostr. Hom. II. de Sacerdote his verbis adducit: *Quamobrem multâ quidem arte opus est, ut qui laborent Christiani, ultrò sibi persuadeant, sacerdotum curationi sese submittere, quòd* (subjicit Masenius) *de privata confessione dictum est, cum publicam (Chrysostr. omus) averse-* tur; Alteram verò, cum S. Augustin. ex lib. II. de Visit. Infirm. c. IV. & V. allegat: *sunt, inquentem, (ut Masenius quidem putat) qui sufficere sibi ad salutem autumant, si SOLI DEO, cui nihil oc-* cultum

cultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina; nolunt enim aut erubescunt, siue dedignantur se ostendere sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram discernere per legislatorem constituit DEUS &c. Quibus subjungit Masenius: Hæc, ni fallor, non egent ulterioris interpretis.

§. 52. At contrà, nî omnes, qui quicquam in Chrysoftomo vel Augustino legerunt, falluntur, hæc beatos Patres aut non scripsisse, aut nihil pro Masenio facere, interprete ulteriore opus non est. Augustinum quod concernit, ille hæc nunquam scripsit, est enim liber de Visit. Infirm. iudice ipso Bellarmino, ad minimum, de quo NIHIL CERTI potest haberi; Erasmi verò Censurâ in h. libr. Tom. IX. Oper. Aug. p. m. 958. teste, est sermo locutuleji, nec docti nec disertus; nec habuisse quicquam, ait, frontis vel MENTIS, (quid fiet de nostro Masenio?) qui talia scripta nobis nomine Augustini obtruserunt. Id quod vel ex solo hoc ipso loco, quem allegat Masenius, apertè conficitur. Nullus enim fortè tam imprudens erit, ut locum ex Psalmo 137. v. ult. *Beatus enim, qui tenebit, & allidet parvulos ad petram*, S. Augustinum de *petra Christo*, cui per Sacerdotes, qui quasi spiritualiter petræ huic allidunt, confessio facienda, explicasse, & Sacerdotem *Mediatorem* inter DEUM dixisse, dicat, quod tamen facere indoctum illum graculum constat. Meminimus verò in indubitatis Augustini scriptis nos planè contrarium legisse. Ita enim ille: *Quid ergo mihi cum hominibus, ut audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? CURIOSUM genus ad cognoscendam vitam alienam, desideriosum ad corrigendam suam: Et inde sciunt, cum à meipso, de meipso audiunt, an verum dicam, quandoquidem nemo scit hominum, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Chrysoftomus verò tam nihil pro Masenio dicit, ut, quæ dicit, ipsi fortissimè repugnent. Extat locus libro, seu Dialog. II. de Sacerd. In illo non modò ne verbum quidem de *confessione auriculari* Chrysoftomus, sed postquam, quomodo fideles Pastores morbos suarum ovicularum curare debeant, & quàm difficile curationis opus hoc sit, maximè cum non *vi & instar externi iudicis, cum facinorosos homines vel invitos etiam mores mutare cogit*, (ad quem modum

Masenius
suppositi-
tiis libris
utens fron-
tem exuit,
secundum
Erasmm.

De Script.
Eccles. Ob-
serv. III. in
Tom. Aug.
p. m. 134.

confessionis
lib. X. c. III.
Tom. I. p.
m. 157.

Tom. V.
Oper. p. m.
425.



modum Papistas suas oviculas curare velle, & notū est & suprā vidimus, & infrā videbimus pluribus) explicasset, porrò etiā ostendisset, opus piis Pastoribus exinde augeri, quòd sæpè *vulnera & morbos NON MANIFESTOS, secus ut agrestis Pastor morbos pecuarios videre statim & deprehendere potest, curare cogatur; quin sæpè usu veniat, ut ne INTELLIGERE quidem possit, morbus subsit, nec ne: qui ubi se prodiderit, ipsi tunc majus negotium factururus sit,* de cæteris, cum non vi aut coactione aliquā utendū Pastori, sed *suadere ipsum oportere, atque hac ratione meliorem efficere, quem emendandum suscepit,* ostendisset, tandem concludit, *multā arte, opus esse, ut Christiani ultro sibi persuadeant, sacerdotum curationibus sese submittere: quod sanè non est, homines ad confessionem omnium peccatorum sub pœna æternæ damnationis, vel retentionis peccatorum, adigere, & illis proportionatam pœnam imponere: hæc enim si necessariò facere cogerentur oviculæ, non opus fortè foret hîc tanto labore; sed est informare Sacerdotem, quomodo prudenter in officio suo cum peccatoribus versari debeat, ut scilicet pro circumstantiis rerum & personarum, talem moderationem adhibeat, ne intempestivâ acerbitate ad desperationem, periculosâ verò lenitate ad majorem peccandi licentiam homines seducat.* Complures enim se recensere posse, ait, *quos constat in extrema mala adactos, NON OB ALIUD NISI QUOD DIGNA ab eis pœna, & quæ peccatis perpetratis PAR esset, exigeretur. usu etiam venire, ut animum plerique despondeant, atque in suæ salutis promant desperationem, NON OB ALIUD, nisi quod ab amaris acerbisq; medicamentis abhorreant.* Quæ ipsa an non Confessionem Papistarum jure divino, propter pœnæ delicto proportionatæ impositionem (ut putant) necessariam, directò evertant, judicent cordatiores.

Augustana
Confessio
ab incusa-
tione Ma-
sen. vindi-
catur.

§. 53. Non mirabitur ergò *Masenius*, prout part. II. Med. Conc. p. 105. facit, quòd à Confessoribus Augustanis Chrysoptomi verba ex Homil. XXXI. in c. XII. ad Ebræos p. m. 1668. olim adducta fuerint, cum Chrysoptomus (ut putat) *publicam pœnitentiam saltem olim usitatam his verbis improbet.* Admodum concinne enim locus ille à fidei Majoribus adducitur, *Masenius* verò in interpretando Chry-

Chrysoſtomo valdè hallucinatur. Cùm n. Principes proteſtantes enumerationem delictorum ad remiſſionem eorum ſimpliciter **NON NECESSARIAM** eſſe, ſed ſufficere ad eſſentiam veræ contritionis coram DEO cor contritum ſuum effundere, & peccata ſua deteſtari, dixerint; (quippe cùm enumeratio illa ſcrupuloſa & impoſſibilis ſit, & fidei noxia) dictus verò Chryſoſtomus, iſtam enumerationem delictorum ſimpliciter *adeò non neceſſariam* doceat, ut, ſi delictum hæcenus occultum fuerit, neque Eccleſia hoc ipſo ſcandalizata, *ne quidem publica pœnitentia* & confeſſione ad remiſſionem peccatorum coram DEO obtinendam, ſimpliciter *opus eſſe iudicet*, neſcio an pro nobis quicquam, quàm quod ex Chryſoſt. Patres noſtri adduxerunt, clariùs adduci potuerit. Verba ita habent ex Chryſoſtomo: *Perſuadeamus nobis ipſis, quod peccavimus. Non linguâ ſaltem dicamus, ſed mente & cogitatione. Ne nos dicamus peccatores, ſed etiam peccata recenſeamus, ſpecialim unumquodque enumerantes* Ecce enumerationem in ipſo loco, quo Principes contrarium legere volebant, expreſſam, dicit *Mafenius!* Sed ſalva res eſt; ne enim hoc intelligatur, ſubjicit Chryſoſtomus: *Non dico tibi, ut ea tanquam pompam in publicum proferas, neque ut te accuſes; ſed ut pareas Prophetæ dicenti: REVELA DOMINO viam tuam. Apud DEUM ea confitere, apud JUDICEM (non neceſſariò apud miniſtrum) confitere peccata tua, orans, ſi non linguâ, ſaltem memoriâ. & ita roga, ut tui miſereatur. ſi peccata tua aſidue habeas in memoria, nunquam oderis proximum, nec acceptæ injuriæ meminere &c.*

§. 54. Sed ne ullum reſtet ulterius dubium, S. Chryſoſtomum ad obtinendam peccatorum mortalium remiſſionem, enumerationem coram Paſtore non judicaffe ſimpliciter neceſſariam, producimur locum ex Homil. II. in Pf. L. vel veriùs LI. Tom. I. oper. p. m. 833. ubi diſerte dicit: *ſi quem pudeat peccata fateri, illum dicere illa debere quotidie in oratione;* Quibus ſtatim ſubjicit: *Non enim dico, ut CONSERVO exponas, qui te probris impetatur; Dic DEO, qui iſis medetur. Neque enim ſi non dixeris, ignorat ea DEUS. Neque enim ex te ea ſcire vult* Ex quibus aperte liquet, Chryſoſtomum, quamvis de enumeratione delictorum,

N a

quæ



quæ coram Pastore fieri debeat, expressis verbis non loqueretur, tamen, quia *nullam*, quæ *coram hominibus fit*, & cum periculo famæ & existimationis conjuncta sit, ad obtinendam *veniam coram DEO* & pollicitationem melioris vitæ, simpliciter necessariam existimet, ideò & illam, quæ à Papistis ut *necessaria* Ecclesiæ obtrusa est, illum apertè rejicere. *Pœnitentiam* verò *publicam*, si in legitimo suo *usu maneat*, *planè rejecisse* Chrysostrum, falsum est, id quod ex suprâ dicto Homil. II. de Sacerdotio patescit, ubi, postquam aliquorum nimiam severitatem in imponendis pœnis rectè reprehendisset, pro re nata, peccanti pœnam aliquam Ecclesiasticam in signum *factæ reconciliationis* cum Ecclesia, imponi posse, rectè concedit.

Chryso-
strum auri-
cular. Con-
fess. Papi-
sticam ex
professo
rejecit, con-
sensu toti-
Ecclesiæ
Græcæ,

§. 55. Id verò verum est, S. Chrysostrum non modò implicite rejecisse confessionem Papisticam, sed & ad exemplum sui Prædecessoris *Nectarii* Episcopi, & observantiam totius Ecclesiæ Græcæ aliter facere non potuisse. Constat enim ex Sozomeno libr. VII. c. 16. & Socr. lib. V. c. 19. (qui in re tam publica ac manifesta, mendacium confingere non potuerunt, ut fabulantur nonnulli Papistæ) ab illo tempore, quo Novatiani se ab Ecclesia sejunxerunt, (factum autem id est circa ann. Ch. 200. & seq. circa tempora Cypriani) & recusarunt cum his, qui tempore persecutionis lapsi erant, *communicare*, Episcopos, hoc (non quasi divino jure & ex necessitate, sed propter Ecclesiæ utilitatem, quæ hoc videbatur propter Novatianos requirere) *canoni adjunxisse*; (verba refero Historicorum) *ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam pœnitentiæ præesset; quò, qui post Baptismum lapsi fuissent, coram Presbytero, ad eam rem designato, peccata sua confiterentur*; Cùm v. mulier quædam nobilis ad Presbyterum pœnitentiarium aliquandò accessisset, & peccata, quæ post Baptismum commiserat, inter cætera etiam, quòd cum Diacono dormivisset, confessa, facinus verò hoc *patefaceretur*, tumultusq; populi, *quòd gravis contumeliæ nota Ecclesiæ exinde iniusta fuisset, excitaretur*, ad consilium Eudæmonis Presbyteri Alexandrini, Episcopus Nectarius hunc morem, (qui publicæ pœnitentiæ, successit) abrogavit, vel certè, ut verba Socratis habent, **LIBERAM POTESTATEM dedit, ut**

PRO

PRO SUA QUISQUE CONSCIENTIA ad mysteria participanda accederet. Quem secuti cæteri Episcopi, HOC INSTITUTUM, (non divinum mandatum) quamvis ad longinquum temporis spatium tenerent, temporibus Nestarii immutarunt. Hæc ex Sozomeno & Socrate bonâ fide referimus. Ex quibus luce meridianâ clarius evadit, confessionem auricularem, quæ in aliquibus locis publicè successit, in Constantinopolitana Ecclesia communi consensu fuisse in tantum abrogatam, ut cuilibet, quod & quomodo fateri velit, liberum relictum fuerit.

§. 56. Et quia Chrysostomus ex decreto & autoritate Imperatoris Arcadii consensuq; Presbyterii in locum & officium Nestarii successit, planè improbable est Chrysostomum hunc specialiter confitendi morem, ubi semel abrogatus, ceu necessarium restituisse, maximè ubi ne litera quidem de hoc in scriptis ejus reperiatur. Nimiùm frivolum enim est, quod Masenius colligit, idè Chrysostomum, dicentem, Christianos se *curatori Pastorum submittere de privata Papistarum Confessione auriculari* & quasi jure divino necessaria loqui, *quia publicam aversatus fuerit.* De neutra enim loqui, & tamen vera manere potuere, quæ dixit Chrysostomus. Non de *publica*, quia jam tum, Socrate & Sozomeno testibus, à tempore Novatianorum, huic, in Ecclesia Constantinopolitana, specialis Confessio successerat. Non *privata*, illa enim ante Chrysostomum in Ecclesia eadem abrogata, vel saltem libera relicta; Frustra E. diceret Chrysostomus, magna curâ Christianos subjici alicui rei, quæ aut prorsus abrogata, aut libera relicta. Non de utraque, nam poterat Christianus populus, curatellæ Pastorum subjici, quamvis Confessio privata non in usu fuerit, sicuti longo tempore bonæ Pastorum in V. & N. T. curæ subjectus Christianus populus fuit, antequam de Confessione auriculari quicquam auditum. A Pastoralis cura & quæ ipsi essentialia sunt, ad accidentalibus, separabilia, imò de quo non constat, an unquam ad Pastoralem curam, (ut est Confessio Papistica scrupulosa & carnificinaria) pertinuerit, argumentari velle, næ Jesuiticâ subtilitate nimis indignum est.

§. 57. Possemus id pluribus ex Antiquitate docere, nisi labo-

N n 2

rem

Sozomeno
lib. VIII.
c. II.Epl. I. l. 1. q. 1.
ad Episc. l. 1. q. 1.
ad Episc. l. 1. q. 1.
ad Episc. l. 1. q. 1.
ad Episc. l. 1. q. 1.
ad Episc. l. 1. q. 1.
ad Episc. l. 1. q. 1.
ad Episc. l. 1. q. 1.

rem & tempus lucratus hic nobis ac consensum omnium Antiquorum, quamvis imprudens, largitus fuisset Cardinalis Bellarminus: Postquam enim in principio Capitis XI. libr. III. de Pœnitent. B. Chemnitio, distinctè Patrum testimonia, quæ Adversarii producere solent, per novem Confessionum species examinanti responsurus, dixerat, esse Chemnitii *has novem species excogitatas solutiones ad eluenda Patrum SANCTORUM TESTIMONIA QUÆ A CATHOLICIS DOCTORIBUS AD CONFENSIONEM STABIL-*

p. m. 1872. *ENDAM PROFERUNTUR*, sub calcem dicti Cap. ad Patres, quos hæctenus C. VII. VIII. IX. & X. magnâ non minus vanitate, quàm numero conglomeraverat, & ad quos Chemnit. rectè responderat, digitum intendens, *tametsi*, inquit, *Patres, quos citat Chemnitius, NON DICANT DISERTIS VERBIS CONFENSIONEM OMNIUM PECCATORUM NECESSARIAM ESSE JURE DIVINO, quod unum (& quidem rectè) ipse urget, tamen neque disertis verbis dicunt Confensionem omnium peccatorum Non esse necessariam Jure divino*; in quibus quemadmodum hic Jesuitarum proavus clarè fatetur, Patres Antiquos *NON disertis verbis* dicere Confensionem omnium peccatorum *JURE divino*, (quod unice tantum in quæstione est) *esse necessarium*, ita, sufficere sibi ad probationem, quod Patres hoc etiam non negent, ajendo, tam ridendum se exhibet, quam certo sibilo explosuri essent aliquem Jesuitæ, si diceret, Regnum Papale Antichristianum esse, quia *disertis verbis* Patres hoc non negent. Et cum sancti Patres ut plurimum de Confensione in *publicâ* pœnitentia usitatâ, vel de *secretâ* privatâ, ut vocat illam Leo I. quâ pœnitens enormia, quamvis non notoria sua delicta ad accipiendam informationem & consolationem *liberè* fatebatur, (quàm V. & VI. confessionis speciem fecit Magnus Chemnitius) nequaquam verò fatente Bellarmino de *Confensione* auriculari *jure divino* simpliciter necessario, loquantur, atque ipsius Leonis verba in Epist. XCI. de V. & VI. specie intelligenda sint, in quem finem ad quorumvis legentium oculos & judicium appellamus, ideò mirum Bellarminum d. l. ausum fuisse scribere, *ad istum locum Chemnitium nullam solutionem reperire potuisse.*

Ep. LXXX.
ad Episco-
pos Cam-
pan. p. m.
202.
Part. II. E-
xam. conc.
Trid. p. m.
213.

§. 58. Ex quibus insimul nunc observare licet, verum esse, quod

quod de origine auricularis Confessionis rectè scripserunt Beatus Rhenanus in Schol. ad l. Tertull. de Pœnit. & Polydorus Vergilius lib. VI. de Invent. rerum c. 1. *Clanculariam confessionem natam esse existæ exomologesi publica per ultroneam hominum pietatem, ut peccatorum occultorum esset & exomologesi occulta, nec enim US- QUAM PRÆCEPTAM OLIM LEGIMUS.* Quamvis bonus Rhenanus Spongiam expurgatoriam propter hoc verum testimonium passus fuerit. Vid. indic. Expurg. ann. 1599. p. m. 80. De qua origine pluribus legendus est accuratissimus Antiquitatis lector B. Chemn. Exam. Concil. Trident. d. Confess. c. V. p. 212. Ubi insimul accuratè demonstrat qua ratione & quibus causis privatam confessionem sicuti hodie apud nos in usu est, antiqui rectè & salutariter, quidem, quamvis nulla simplici necessitate retinuerint, quò lectorem meritò remittimus.

§. 59. Ultimum, quod in hoc articulo desiderarunt Majores nostri, est *meritoria pro peccatis confessis conficta satisfactio*, quam rectè dixit August. *confessio, rem totam esse commentitiam, RECENS confictam, sine auctoritate scripturæ & veterum scriptorum Ecclesiasticorum*, Apolog. p. 185. Miraberis verò, quam omnes ingenii nervos hic intendat, vel potius Sophisticæ angulos disquirat *Masenius*, ut foedam causam dissimulet, palliet, variisq; coloribus illinitam, orbi venalem exponat, atque incautis hominibus satisfactionem suam nil nisi meram pietatatem, imò, si illa ex *Ecclesia tollatur, Angelos pacis fleturos esse*, ut ait, persuadeat. Hinc tot falsæ sententiæ dissimulationibus & veræ simulationibus *Masenius* opus habuit, ut, si hoc artificio speciem causæ non fecisset, propter solam hanc impiam doctrinam desperatæ *sue concordie*, ab omnibus, repulsam sibi metuere debuerit. Verum meritò hic usurpamus verba Jeremiæ cap. II. v. 22. *Etiam si larveris te nitro, & multum smegmatis tibi adhibueris, altius tamen impressa est iniquitas tua coram me, ait Dominus.*

§. 60. Quamvis enim temerariè pag. 106. affirmare aulit, ipsam Augustanam Confessionem fateri, *pœnas temporales, remissâ culpâ, relinqui, atque has ipsas bonis operibus mitigari, ET HOC SOLUM esse, quod satisfactionis nomen apud ipsos jure acceperit,*

Origo Auricularis Confess.

Confessio & Satisfactio an sint meritoria, ceu V. quod in Masenio & ejus similibus consideratur.



72.
 stupendamq; prorsus fingendi audaciam asserat homo stupendè audax, imputare Catholicis (Papistis) pœnas æternas, vel, remissâ manere culpâ, vel nostris expiari operibus, non potest tamen sub his ovinis pellibus, se ita abscondere, ut lupina vox & natura non ubiq; sese prodât, & quò magis opprobrium tegere velit, eò minus illud latere possit. Nemo est, opinor, inter nos tam simplex, ut Masenio credat, Aug. Confessionis socios hoc ipso articulo, quo dissensum testari à Papistis voluerunt, eodem, eadem cum ipsis se docere, scriptitasse, neque inveniet fortè apud suos quempiam, qui credat, nobis, quamvis simplicissimi homines essemus, Masenium hæc persuadere posse. Id quod, si, quid in quæstione hic sit, ex Concilio Tridentino imò ipso Masenio breviter explicaverimus, sole meridiano clarius elucescet.

Afflictiones piorū quomodo pœnæ dicantur?

§. 61. Verum est, Apologiam A. Confess. p. m. 193. asserere, subjectos esse etiam *SANCTOS* morti & omnibus communibus malis & afflictionibus, & has afflictiones *PLERUMQUE* esse pœnas peccatorum, & pœnitentiâ *TOTA* mitigari pœnas & calamitates publicas & privatas, à DEO immittas Esa. I. Verùm hoc ipso illam, quod Masenius docet, docere, & *HOC SOLUM* esse, quod apud Papistas nomen *SATISFACTIONIS* jure acceperit, id, *SOLUM* Masenium, & ante ipsum neminem docuisse diceremus, nisi sola ipsius verba aliud docerent. Quo sensu A. Confessio pœnæ vocem sumat, nempe non *proprie* & formaliter, in quantum est *culpæ expiatio* & contractæ maledictionis divinæ *elutio*, sed *παχυλῶς* & *improprie* seu *materialiter*, in quantum, non semper, sed *quandoque* cum respectu & in ordine ad antegressa peccata graviora, tum ad *differentiam* istarum afflictionum, quæ *δοκιμασίαι* seu *probationes* vocantur, à DEO converfis immittuntur, sanè non eum in finem, ut hoc peccati cujus remissionem homo *perfectè* impetravit, culpam, in totum vel ex parte *expiet*, sed ut odium peccati acrius concipiat, impensus oret, humilitati continuò studere discat, adeoque sub paternis his castigatibus in pietatis exercitio crescat, hoc inquam, ipsa A. C. disertè indicat, dum non modò *differentiam* inter *afflictiones*, quæ ut pœnæ *improprie* sic dictæ, piis immittuntur, & inter illas, quæ ut *probatio-*

bationes ipsis contingunt, monstrat; dicit enim afflictiones has communes non semper, sed *PLERUMQUE* ut poenas immitti, h. e. ut pag. 193. se explicat, non ut signa aut ad compensandam mortem eternam, sed ut carnis mortificationes, quæ in sanctis mortificent & extinguant concupiscentiam vel amorem peccandi p. 194. & in quantum *SINE SENSU* iræ sunt, adeoque *NON* propriè poenæ dicuntur ibid. sed & dum accuratè immanè distantiam inter has à DEO piis immisas paternas castigationes, & Papistarum à Sacerdote imponendas satisfactiones subindicat, & hæc, inquiens, afflictiones plerumque sunt poenæ peccatorum, (Sensu à nobis indigitato) apud pios tamen habent alium finem potiore, scilicet ut exerceant eos, ut inter tentationes discant quærere auxilium DEI, agnoscant diffidentiam cordis sui, & ad DEUM verà humilitate clament, peccata mortificentur, humilitasq; exerceatur. p. 194. 196.

§. 62. Atque has à DEO, non à Confessionario, impositas afflictiones rectè A. C. docet, per veram *TOTAM* poenitentiam (non satisfactiones) cujus anima est vera in Christum fides, mitigari, vel ut illa loquitur, mitigari communia mala per nostram poenitentiam, & per veros fructus poenitentiae per bona opera facta ex fide, h. e. (ut venustè id explicat noster B. Chemnitius Exam. Concil. Trid. part. II. Tit. de satisfact. p. m. 227.) mitigat DEUS afflictiones, non quod opera hominis sint vel compensationes vel merita remissionis peccatorum, sed quia castigationibus illis, DEUS in reconciliatis *ALIUD NIHIL* quærit, quàm ut conservetur, magis accendatur, crescat & augeatur vera humilitas, *AGNITIO*, odium, & detestatio peccati, exercitium fidei, mortificatio veteris hominis, patientia, spes &c. Quando igitur in *IPSIS POENIS* talia poenitentiae exercitia DEUS in reconciliatis videt, tunc habet id, quod castigationibus quærere solet; Atque ita poenæ illæ vel mitigantur vel tolluntur propter filium Mediatorem. Uno verbo, quia DEUS in fidelibus ceu reconciliatis filiis videt veram & seriam continuatamq; poenitentiam, ideò, ad preces istorum in nomine Christi fusas, castigationes mitigat vel planè tollit.

§. 63. Hæc sanè adeò planè non sunt, ut etiam *NIHIL HORUM* sit, quod ex Concilio Tridentino Papistæ, & noster

Maseo



Masenius ex eodem, de suis factionibus docent. *Apostolico-Catholici* causam immissarum afflictionum, ut sunt, morbi, exilia, bella, fames, bonorum jactura &c. DEUM, illas immediatè vel mediatè & ad pœnam hominum dirigentem, agnoscunt, Catholici Papistæ *arbitrium* Sacerdotis, ejusq; *prudentiam* & *in imponendis pœnis* æquilibrium *proximam causam* suæ satisfactionis prætendunt, Concil. Trident. Sess. XIV. c. 8. p. m. 732. Illi, pœnam à DEO in *correctionem vitæ*, secundum illud Græcorum *παθήματα*, immitti concedunt; hi, pœnam propriè dictam, ut scilicet *reatus pœnæ eluatur*, comminiscuntur, *Masen.* d. l. p. 107. Illi, sub Foro Gratia & paternæ dilectionis afflictos fideles ponunt, hi sub *rationem DIVINÆ JUSTITIÆ, quæ exigit, ne post Baptismum mortaliter peccantes, absque satisfactione in gratiam recipiantur*, illos revocant; Illi Misericordiæ divinæ hoc esse credunt, ut homini pœnitenti absq; *ULLA propria* satisfactione & merito propter solius CHRISTI *ισόρροπον λύτρον* peccata remittantur; hi, *divinam clementiam NON DECERE absq; ULLA satisfactione* (propria) peccata remittere acatholicè asserunt, Concil. Trid. d. l. p. m. 731. Illi, Hominem ideò, quod *satisfactionis* justitiæ divinæ à Christo præstitæ gloria *individua* sit, non posse vel ex toto vel parte pro peccato ipso aut pœnæ reatu propriè satisfacere, Esa. XLII. I. Tim. II. 5. docent, hi, *homines dum SATISFACIENDO PRO PECCATIS, patiuntur, CHRISTO JESU, qui pro peccatis nostris satisfecit, CONFORMES EFFICI*, non sine injuria in Christum dictitant, d. l. p. 732. Illi his, qui in vera pœnitentia ejusq; fructibus, h. e. fide viva in DEUM & virtutibus in lege moralis mandatis, quoad ejus fieri potest, institutâ piâ vitâ, se exercent, DEUM, *impropriè* dictas pœnas propter Christum fide apprehensum, paternè mitigare, nequaquam tamen illas pro *satisfactione* elutione aut vindicta æstimare. (Apolog. August. Confess. p. 195. & 198.) Hi, etiam non mandatis operibus, sed & qui intermitti possunt, *pro vindicando tamen peccato susceptis, aut à sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis* (ut sunt peregrinationes, &c.) *VINDICARI, & apud DEUM PATREM credentes SATISFACERE* (Concil. Trident. d. l. & c. 9. p. 733.) imò his pœnam *REATUS*

EXPL.

Conc. trid.
Ibid.



EXPIARI posse; *Masenius* p. 107. Illi, nec dari purgatorium, nec poenam ejus esse, neque ideò hanc poenam in satisfactiones à sacerdote mutari posse; Hi, dari, & poenas, ejus in dictas satisfactiones mutari, purgatoriiq; poenam his expiari posse. *Masenius* d. l. Illi concedunt equidem, opera quaedam aliàs debita in testimonium factæ serix poenitentix, publicè cum Ecclesia reconciliatis, *Ecclesiastico jure*, olim imposita esse & libenter exsoluta, hodie numq; rectè à nobis illa imponi; Hi, propter *occulta* etiam peccata opera non debita, ut coram DEO valentes & culpam eluentes satisfactiones à sacerdote imponi debere *superaddunt*. Ex his, qui A. Confessionis focios & Papistas *Ἰς Ἰὰ κασῶν* distare, & in hac quæstione illos **NIHIL**, quod hi docent, docere, non intelligit, illum talpâ cæciorem esse oportet.

§. 64. Frustrà ergò *Masenius* pag. d. hominibus persuadere laborat, quasi A. Confessio quicquam, quo injuriosa in meritum Christi Papistarum satisfactio stabiliri possit, contineat, quodq; propterea necessariò *submovenda* sit cum illa, ut ait, *pugnans nostra doctrina*, sc. *non necessariam esse satisfactionem, peregrinationibus & ejus generis à DEO non mandatis operibus non elui reatus poenam, aut expiari purgatorii poenas*, adeoque quòd, hæc omnia rectè fieri, asserendum sit; Etenim quia hæ nostræ, sc. Christum *semel & perfectè* satisfecisse, nec hominem vel saltem ex parte, DEO satisfacere posse; DEUMq; opera ex fide profecta *non pro satisfactionibus*, sed pro virtutibus propter acceptam liberationem à peccatis, duplici jure debitis, acceptare &c. & Papistarum contradictoriæ; homines *nihilominus* DEO ex parte & quidem tam mandatis quàm à DEO non mandatis operibus propriè satisfacere posse &c. simul stare nullo modo possunt, ideò non possunt à nobis *submoveri* nostræ negativæ & Papistarum affirmativæ poni, quamdiu immota veritas *Masenianis* nugamentis se moveri non patietur; sed *movenda*, imò ex Ecclesia rejicienda est Adversariorum cum mera impietate & contradictoriis conflictans opinio, quæ quamdiu ut *asinina dialectica*, (sicuti ex justo dolore illam meritò vocat Apolog. Aug. Conf. p. 186.) nobis apponitur, ne verbum quidem, quod ad confusionem hominum præfractorum (ex simplicitate

O o

enim

enim errantibus Deus condonabit) facere possit, loco, quo ha-
ctenus inconcussè stetit, *MOVERE* possumus, nisi fortè, quod ta-
men non sperandum, fortioribus, quàm quibus hîc *Masenius* usus
est, inde discedere cogemur, arietibus.

Protestan-
tes à fin-
gendi au-
dacia vin-
dicantur
contra Ma-
senium.

§. 65. Ex quibus quamvis opinionis Jesuitarum absurditas,
tum A. Confessionis sociorum & Papistarum, quâ talium, *reconci-
liationis impossibilitas* satis elucescat, ac proindè actum hic egisse,
videri possit *Masenius*, laceratam tamen causam ultimo hoc cona-
tu quodammodo refarcire voluit, dum *figendi audaciam* dicit,
dicere, *catholicos docere, remissâ culpâ pœnas æternas manere, &
suis operibus illam expiari posse.* Hoc enim apud catholicos *NUN-
QUAM SOMNIATUM* esse. Verum enim verò aut somniando
hæc scripsisse, aut, studio foeditatem causæ dissimulasse *Masenium*,
tam certum est, quàm evidentissimum faciemus, antiquos, cum
quibus Augustanis Confessoribus tunc res fuit, tum modernos
Papistas, hoc de *satisfactione* pro pœna æterna verum somnium
docuisse ac adhuc docere, quamvis, an per somnolentiam, an vigi-
lantem malitiam hic error irrepsit, nostrâ non multum nunc in-
terfit.

§. 66. Non opinamur enim Bellarminum somniasse, cùm
ex Cajetano docuit & scripsit libr. IV. d. pœnit. c. i. §. *Quod
si probatum.* p. m. 1913. *Pœnam illam, quæ luenda restet post cul-
pæ remissionem, esse ILLAM IPSAM PœNAM SENSUS, quam
in gehenna pati debuisset peccator, remotâ solum æternitate.* Et
nisi planè lethargo obdormierit ipse *Masenius*, necesse est illum be-
nè advertere, eo ipso, dum *satisfactionibus pœnam purgatorii elu-
endam,* (pag. 107.) expressè docet, se idem, quod rejecisse videri vo-
lebat, strenuè affirmare. Quia enim Purgatorii pœna, ut defini-
unt illam Jesuitæ, ex parte est *ipsa pœna inferni*, nempe *carentia di-
vine visionis*, quam *damni pœnam* vocant, & hanc in purgatorio
dari, apud illos certum est, docente Bellarmino lib. II. de Purgat.
c. X. adeoque impossibile, pœnam purgatorii à pœna Gehennæ tã
sivâ differre, *illam autem ipsam pœnam Purgatorii Gehennæam
satisfactionibus elui, Masenius* cum suis expressè docet, docere e-
tiam illum necesse est, hominem, pro illa pœna, *quam æternum e-
luere*

p. m. 1057.

luere debebat, hic satisfacere posse; Omnes etiam Jesuitæ constanter docent, *pœnam æternam ex gratia à DEO mutari in temporalem.* Ita enim Bellarminus: *DEUS, cum nos ad amicitiam suam per reconciliationem iterum recipit, à pœna, cujus debitores eramus, ÆTERNITATEM aufert, ac de æterna temporalem facit.* Quia verò DEUS auferendo durationem saltem, non ipsam æternæ pœnæ naturam, sed saltem accidens ejus, tollit, atque ideò, opinor, id fecerit, ut homo (secundum Papistas) pro illa satisfacere possit, *surrogatum* porro, ut loquuntur Jcti, *eius, cui surrogatur*, naturam sapere necessum est, nemo vel intelligere saltem potest, quomodo homo temporalem pœnam æternæ *surrogatam sustinendo*, pro gehennæ pœna tanquam carentia visionis DEI, imò pro eadem pœna, quam in gehenna *æternum* sustinere debeat, *satisfaciat*, & tamen pro eadem *æternâ pœnâ*, quam sustinere debet, non satisfaciat, nisi duo contradictoria simul quis vera faciet. Ut taceamus, Jesuitas, ipsumq; nostrum *Masenius*, dum pro satisfactione sua, ex *satisfactione* quam putant Nebucadnezarem DEO solvisse, argumentum nectunt, hoc ipso, quod *Masenius* negare videtur, aperte assertum ire. Cùm enim ille peccatis suis, pro quibus *satisfacere debebat*, *æternæ* mortis pœnam citra dubium meritus esset, fieri aliter non potest, quàm ut, si pro peccatis suis, redimendo ea, satisfecerit, pro *æterna pœna* non tantum, sed & pro culpa satisfecerit; ne verbulo enim ibidem dicitur, pro *SOLA pœna temporali* satisfecisse, sed dicitur (secundum vulg.) peccata sua *redimere* debere: quod, si est pro illis satisfacere, (ut vult *Masenius*) etiam pro *culpa ac merita æterna pœna*, (extra quæ non est peccatum) erit satisfacere.

§. 67. Quamvis mirum sit, cur *Masenius* nunc abhorreat à *satisfactione pro pœna æterna*, cum satisfactione pro *ipsa culpa*, quæ æterno & infinito DEO præstari debeat, Tridentini Patres, ceu suæ fidei conditores, satisfactionem humanam pro ipso *PECCATO* fieri doceant. *Decere* enim ajunt, *divinam clementiam, ne ita nobis ABSQUEULLA satisfactione PECCATA dimittantur, ut, dum satisfaciendo patimur, PRO PECCATIS nostris, christo conformes efficiamur;* Unde interpretes Concilii Tridentini, Andreas Vega, Canus, Tapperus, Altensteig, Canisius, hæc de satisfactione

Lib. IV.
de Pœnit. ca.
VII. p. m.
1937. Tom.
III, Contro;

Dan. IV.



ne pro pœna & *CULPA* expressè explicant, ut ex illis hoc dudum demonstravit b. m. Dn. D. Hulsemannus Disp. X. contra Hager. p. 385. Et sanè si meritum CHRISTI, ut DEO *sufficiantiam* præstare, nosq; in illo *OMNIA possimus*, [ut hoc effugio utitur Concil. Trident. p. 732.] adeoque ut DEO satisfacere possimus, facit, nil sanè obstare potest, quò minus, communicante eandem gratiam nobis Christo, *pro culpa, &*, quam illà meriti eramus, *eterna pœna, satisfacere* valeamus.

§. 68. Atque hoc est saltem, quod A. Confessio Adversariis & quidem rectè imputat, nempe, quòd suas satisfactiones *ad compensandam mortem vel pœnam aeternam* necessarias Ecclesiæ obtruserint, (p. 193.) & finxerint, *DEUM, quia conveniat justitiæ divine punire peccatum, MUTARE pœnam aeternam in temporalem, illamq; redimi per satisfactiones.* Quæ sicuti expressè Adversarios ipsamq; *Masenum* ex suo Tridentino tripode docere, & vi hypothesium docere cogi, evicimus, ita sanè non sunt hæ Nostratum calumniæ, sed ipsæ Adversariorum desperatæ doctrinæ, quas, quia illæ, quò pedè figant, ipsos non sinunt, hisce effugiis apud incautos & simplices paulum erigere laborant. Sciunt n. cum verâ & candida professione, aut extra has dissimulationes, negationes, & in varias formas transfusiones, illam ne per momentum consistere posse.

Masenius
Scripturæ
dictis malè
causam ju-
vat.

§. 69. Videamus tamen, an Masenius felicius, quàm cæteri hætenus fecerunt, lapsam causam ex Scriptura erigere potuerit. Jactat enim statim in principio suæ *meditatæ concordie*, se *solis scripturæ verbis* suam ex Concilio Tridentino desumptam confessionem demonstrasse, atque hac ipsa parte II. pag. 107. idèd sollicitè, imò vero *temerariè* nos monere voluit, ut *Verbo DEI supra ab ipso num. II. & 3. allato inhereamus.* Sunt autem hæc illa ipsa loca Scripturæ, quæ etiam ab aliis solent afferri ex Lev. IV. 3. II. Reg. XII. II. Cor. VII. Dan. IV. Jon. III. 10. Colofs. I. 24. quæ p. 106. ad propositum suum obtorto collo trahens infelix *Mediator*, sic jactabundus insultat, *Elide*, inquit, *si potes, satisfactoria V. T. pro peccato sacrificia, aufer post remissionem peccatorum, jejuniorum, orationum, afflictionumq; aliorum in Davide sacrificia, tolle tristitiam vindictamq; de peccato ortam sumtamq; fidelium*

CORIN-

Corinthiorum libros exustos Act. XIX. 19. Eleemosinas datas, quibus peccata redemerunt Dan. IV. 24. Dic quod Paulus in se aliisq; adimplevit? Utrumne aliud perfectissima satisfactionis Christi, quam quod sufficiens pro mundo universo, singulis tantum applicat, non esset? Hoc est adimplere, hoc satisfacere, hoc fac & vivere.

§. 70. Miræ me herculè rerum & scripturarum μεταμορφώσεως Masenii! quibus si suis incedere larvis concedatur, metuendum, ne album in nigrum, lucem in tenebras & quicquid in quodlibet monstrifiori, quàm ulla Ovidiana metamorphosi, ille transformatur sit.

§. 71. Nempe opus non est, ut *elidamus* Veteris Testamenti *satisfactoria sacrificia*, si elidere velimus Papistarum satisfactiones: NULLA enim ejusmodi dantur quæ cum *satisfactionibus* Papistarum quicquam habeant commune. Ubi legit Masenius, ullum sacrificium V. T. oblatum fuisse, ut *satisfaceret DEO pro peccato & poena temporalis aut purgatorii*? Sanè expiatoria fuere dicta sacrificia quædam V. T.; quo modo autem *expiarunt*, eo, non solum *poenam*, sed culpam etiam quam maximè expiarunt; fecerunt autem hoc non ex se vel ex opere operato, multò minus ex *elitia* homini impositione; Sed quia aliquid *sacramentale* in se *insuper* habebant & promissionem Evangelii offerebant; seu fecerunt id, intuitu ipsius *Veri & unius sacrificii* Jesu Christi sub typis ac figuris umbrisq; his *representati* & per fidem recepti, in quo remissionis peccatorum, se accepturos & gratiæ DEI, vitæq; æternæ se participes fore, Veteres crediderunt, quippe qui, quod se *DEO in odorem bonæ fragrantiae oblaturus Christus*, Ephes. V. 1. atque hoc *suo unico sacrificio perfectos tandem redditurus sit omnes, qui sanctificantur*, etiam sperabant. Act. XV. Hebr. X. 14.

§. 72. Quid hæc ad Papistarum satisfactiones? Itane quempiam tam stolidum esse, ac supra Judæos crassissime judaizare arbitraris, ut maculatione hircorum & taurorum DEO pro offensa & merita poena à peccatoribus *satisfieri*, contra expressa Apostoli verba Hebr. X. 4. diceret? maximè ubi hæc opinio ab ipso DEO tota rejecta fuerit Es. I. 11. Jer. VII. 22. Psalm. L. sin verò *per*

Elidi possunt satisfactiones Papisticæ, ut tamen non elidantur Veter. Testam. Sacrificia expiatoria,

Sacrificia V. T. expiatoria habuerunt in se aliquid sacramentale.

se Sacrificia V. T. non expiarunt, & DEO *satisfecerunt*, sed *typi-*
cè veram satisfactionem *adumbrarunt*, tum illo ipso Papisticam *sa-*
tisfactionem everterunt. Ideo enim illa expiatoria Sacrificia,
 Christi *satisfactionem* citra dubium adumbrarunt, ut nullius *pro-*
pria hic opus esse, nec coram DEO valere illam posse, imò omnia
 expiatoria Sacrificia in N. T. præter *unum* Christi, submovenda
 esse, demonstrarent. Quinimò, ut rectè observat accuratiss. The-
 olog. Benedictus Carpzov. ex Apol. A. Confess. (p. m. 254.) cum
 præterea (h. e. præter hoc, *quod typi saltem fuerunt REVERA U-*
NICI TANTUM in mundo sacrificii propitiatorii) expiatoria Sa-
 crificia Satisfactiones fuerunt, non coram DEO, sed *coram Eccle-*
siâ tantum, atque illi, qui peccaverant, illa præstiterunt, non
 (ut habent verba Apol. p. 254.) *ut mereantur remissionem pecca-*
torum coram DEO, sed ne *secundum Justitiam legis ex Politia Ju-*
daica excluderentur, quod non tam ipsa *propitiatio fuit, quàm SI-*
MILITUDINEM saltem illius habuit, Papistæ verò suas satisfacti-
 ones coram DEO ex condigno valere velint, nescio quid, quod
 ad suas unquam facere possit, *Masenius*, in satisfactionibus Eccle-
 siasticis Judaicis, invenire potuerit.

§. 73. Ut elidamus E. Papistarū *satisfactiones*, non opus fuit, ut eli-
 deremus Sacrificia V. T. sed sicuti illa suum in N. T. habuerunt com-
 plementum, & ipsum corpus *hanc umbrâ sustulit*, Col. II. 17. ita fieri
 aliter non potest, quàm ut stante hac veritate, fictæ Papistarum satis-
 factiones per hanc *ipsam* unicam & *VERAM SATISFACTIONEM*
 simul verè eliderentur. Quamvis etiam in hoc *Maseni* argumento
 aliud sit, quod satisfactionē Papistarum *elidat*, ipsa scilicet differen-
 tia *sacrificiorum & sacramentorum*. Cum n. *sacrificia* sint actus, qui-
 bus nos DEO aliquid offerimus, & , secundum Adversariorum hy-
 pothesin, V. T. Sacrificia placuerint DEO *ex opere operantis*, *satis-*
factio verò, secundum eosdem Adversarios, sit pars *sacramenti*
penitentiae, & placeat DEO *ex opere operato*, & , per illam nobis,
 (si ad Sacramenti naturam accedere debet) gratiam offerri neces-
 sum fuerit, ideò nemo facile comprehendere potest, quomo-
 do ex *sacramento sacrificium satisfactorium*, & contra, aut
 illud, quod effectum habet tanquam *ex opere operantis*, nunc
 eadem

Ifag. ad
 libr. Sym-
 bolicos p.
 663.

Masenius
 Sacrificia
 & Sacra-
 menta
 confundit.

eadem actione, effectum id accipiat tanquam ex opere operato.

§. 74. Jejuniorum, orationum, afflictionumq; aliarum in Davide post remissum peccatum sacrificia ut auferamus, si negare Papistarum Satisfactiones velimus, (uti quidem à nobis requirit. Adversarius) itidem necessum non est; Masenius enim cum ex his sua non probarit, propria asserta jam sustulisse putandus est. Nullibi legitur, Davidem jejunasse, orasse, ut pro pœna temporali (quam mortem filii interpretatur Masenius p. 102.) satisfaceret. Si enim satisfacisset, pœna, [si quæ vera fuerit,] non subsequuta fuisset, & injustus fuisset DEUS, quod, pro qua jam, secundum mentem Masenii, satisfecerat David, pœnam tamen immisisset! mortuum enim filium ex Bathseba fuisse, & orando jejunandoq; obtinere non potuisse Davidem, ut non moreretur puer, expressè Scriptura testatur II. Sam. XII. Ut taceamus, ipsam Scripturam satis evidenter indicare, hanc ipsam filii mortem non fuisse propriè dictam pœnam, quâ justitiæ divinæ pro peccato ex parte satisfieret, & in Davide DEUS adulterium ulcisceretur; hac ratione enim David nunquam de remissa culpa certus fuisset, neque in obitu Filii se tam confidenter erigere potuisset; Sed innuit Scriptura, DEUM beata morte sustulisse filium Davidis in correctionem, Dav. & exemplum, ne impii & hostes DEI arbitrarentur, DEUM Israëlis esse DEUM, qui homicidiis & adulteriis delectaretur, sed contra sic colligerent; si facinora illa in Davide in gratiam recepto, tantis afflictionibus à DEO corrigantur, fieri non posse aliter, quam ut in ipsis etiam, nisi resipuerint, delicta severissima pœna sit vindicaturus II. Sam. XII. 14.

§. 75. Quamvis aliàs, quid jejunia, orationes & afflictiones Davidis ad satisfactiones Papisticas faciant, nemo, si lynceis oculis etiam rem lustrarit, videre possit. Si enim, quoties jejunavit & oravit David, satisfacisse dicendus fuerit, sanè nunquam satisfacisse, ne per totam vitam usque ad mortis articulum, putandus est: dicit enim se die nocteq; de DEO locutū, ad DEUM cor erexisse, voceq; ac mente indefinenter orasse illumq; invocasse Ps. 1. 2. Ps. 42. 9. Ps. 77. 3. 80. 2. Quas preces pleno ventre DEO obtulisse Davidem, probabile quidem non est, ad Papistarum satisfactiones tamen il-

Jejunia, Orationes, Afflictiones Piorum non sunt Satisfactiones,

Mors filii Davidis an fuerit pœna propriè dicta,

An Castigationes divinæ sint satisfactiones?

la

Illas non pertinere, tam evidens, quam certum est, has per totum vi-
tæ tempus non protrahi, sed, brevi, ni fallor, tempore exsolvi posse,
nec ultra unam vel alteram horam, diem vel certè annum sese ex-
tendere; maximè si pecunia largiter numerata illæ redimantur.

Afflictio-
nes & Ca-
stigationes
divinæ an
sint satisfa-
ctiones pa-
pisticæ aut
illas pro-
bent? N,

§. 76. Neque putamus suas satisfactiones à se ipsis impositas,
cum *afflictionibus*, *δοκιμασίαις* seu *PROBATIONIBUS*, vel eti-
am castigationibus, quas *παιδείας* vocant [Hebr. XII. 6. I. Cor.
XI. 32.] à DEO piis immixtis, in eundem censum relatuos esse Ad-
versarios; Cùm suas quidem satisfactiones *imponere & relaxare*,
in castigationes seu afflictiones tamen, quas DEUS immittit, nihil
juris habere, nec eas imponere vel tollere possint, sed à DEO
sæpius illis imponantur, quos Papistæ *nulla satisfactione* mutant,
& contrà, illis non immittantur, quibus illi *satisfactiones* impo-
nunt. Nec dubitandum est, si ejusmodi *communes* calamitates &
paternas DEI castigationes *pro prudentia sua & qualitate crimi-
num* [secundum quam Patres Concilii Tridentini Satisfactiones
imponi volunt] imponere & easdem relaxare potuissent Adversa-
rios; illos tam lautam ditescendi artem, hæctenus non fuisse negle-
cturos; quam tamen aliquem, quod sciamus, clavium virtute hæ-
ctenus exercuisse, nondū deprehendimus; Summa: Sint & dicantur
illæ afflictiones divinæ *pœnæ* propter *materiale*, quod cum pœnis
propriè dictis commune habent, nempè quod carni *egrè* faciant,
Mich. VII. Micheæ VII. nunquam tamen inde fabricabunt Papistæ *SUAS*
8. *spontè* susceptas *SATISFACTIONES* humanas.

lib. IV. d.
Pœnit. c. I.
§. 1. 2. lib.
ejusd. e. II.
in Epigr. d.
cap. III. in
titulo & §. I.

§. 77. Mirandum etiam meritò est, ubi novam hanc Logi-
cam didicerit *Masenius*, in qua ex particulari, & quod *quandoque*
fit, Universale, & id, quod semper fieri debeat, elicere possit. Conce-
dunt n. Advers. *ALIQUANDO remissa culpa mortali & reatu pœ-
næ æternæ manere reatum pœnæ temporalis*; [Becanus manual.
Lib. I. VIII.] seu, ut Bellarminus loquitur, remissâ culpâ *NON*
SEMPER remitti debitum pœnæ, sed *SÆPE* vel *INTERDUM* ma-
nere debitum pœnæ; & negari quidè non potest, *Deum non semper*,
postquam homo à peccatis etiam gravissimis conversus, pœna
temporali illū castigare, sed pro benevola voluntate, & pro ratione
subjectorum, ipsorumq; utilitate, conversis sæpius pepercisse, &
quoti-

quotidiè parcere. Exempla enim Petri, Filii deperditi, Luc. XV. Peccatricis Luc. VII. Paralitici Matthæi IX. & experientia id testantur; Quomodo ergo ex hoc, quod *non semper*, sed pro libertate DEI *aliquibus* imponitur, *debitum* ab omnibus & semper exsolvendum fabricare, & quod DEUS *non semper* necessarium æstimet, illi ut *semper* necessarium ab hominibus *requirere* possunt, imò, de quo, an DEUS id piis immittere velit certi non sunt, hoc, ut certò immittendum & satisfactionibus redimendū nobis obtrudere velint, imò quomodo, cum nesciant, *quam, qualem & quantā* temporalem pœnam DEUS pœnitentibus immittere velit, illi tamen ceu ipso DEO prudentiores, pœnam determinare possint; denique, quomodo, cum non obstat Justitiæ divinæ, *aliquando & sæpius* pœnitentes *sine* temporali pœna dimittere, *non conveniat* tamen Justitiæ divinæ, *ut* sine pœna temporali illos dimittat, [sicuti colligunt Tridentini] docere possint, nemo fortè intelligit.

§. 77. *Pius dolor Corinthiorum*, qui movit ipsos, ut excommunicarent incestuosum II. Cor. VII. 10. adeoque *vindictam publicam* sumerent à facinoroso, & illorum inter Corinthios, qui curiosam Magiam exercuerant Act. XIX. 20. *librorum combustio*, tam nihil faciunt ad *satisfactiones* Papisticas quam certum est, illud, de *disciplina Ecclesiastica*, quâ Ecclesiæ scandalizatae *satisfieri* solet, & in disputationem huc non venit, *hoc* verò de *fructibus* veræ pœnitentiæ, & signo seriæ *detestationis* ante actæ vitæ intelligendum esse; Quæ si de suis satisfactionibus *Masenius* intelligere velit, non opus est, ut ultra verbum in hac quæstione contra ipsum addamus, cum nimis temerarium, & si piis in fide Antecessoribus Augustanis credimus, *Asinina dialectica* imò mera Sycophantia fit, à *fructibus veræ pœnitentiæ ad satisfactiones*, quibus *compensentur* pœnæ purgatorii argumentari; cum enim illos Deus *mandaverit* & in *arbitrio hominis*, an illos fructus facere velle nec ne, positum non sit, facere etiam tales fructus & illos deceat, qui primū ab *Ethnicismo* *convertuntur*, Papistæ verò suas saltem piis imponant, qui post primam conversionem lapsi, cum etiam fructus hi *ex fide* progeminare debeant & ab alacri animo, (ut decet,) expectari non possint, quamdiu homo persuasus est, se *DEO* his ex parte *satisfacere* debere,

II. Cor.
VII. locus
vindictatur

A fructibus pœnitentiæ ad satisfactiones Papisticas argumentari asinina Dialectica est.

Apol. A.
Conf. p. m.
186.

Pp

bere,



bere, (cum in conscientia, se hoc non posse si etiam animam pro seipso det, sit convictus Ps. 49. 8.) imo verò cum *non possint* esse fructus *veræ poenitentiae*, si sint *pars ejus* nunquamq; homo dicendus fuerit satis fecisse, cum semper fructus illos *ferre* debeat, idè nimis jejunum est, salutarem de *poenitentiae* fructibus doctrinam, & loca, quæ de illis agunt ad *frivolas & arbitrarias* Papistarum Satisfactiones illorum, qui *post* Baptismum labuntur, rapere velle; Unde rectè *miratur* Estius in Matth. Cap. III. 8. quod quidam hæc verba, *facite fructus poenitentia dignos* Matth. III. 8. *intelligans* de satisfactione digna pro peccatis; quomodo tamen Concilium Tridentinum Sess. VI. C. XIV. p. m. 732. & ex illo nostrum *Maseni-um*, non puduit ineptire.

Nebucad-
nezar an
satisfecerit
Eleemofy-
nis? Neg.

§. 78. Eleemofynis *satisfieri pro peccatis*, & *Nebucadne- zarem redimendo peccata*, *eleemofynis DEO satisfecisse pro pœna temporali à Pastoribus imponendâ*, nullibi in Scriptura dicitur, nihil horum in textu neque Dan. IV. v. 24. neque Tob. XII. Ne gry quidem, inquam, de illo, nedum de eleemofynis in textu Pro- phetico, in quo tamen Achillem constituit cum cæteris *Masenius*; sed saltem jubetur Rex, Justitiâ in futurum exercenda *Peccatorum* finem tandem facere (id quod verbum Chaldaicum *ܦܪܩܐ* quod *ab- rumpere* significat, Cornelio à Lapide hoc satente, pulchrè insinu- at,) tum etiam *afflictorum*, quos Parens magis afflixerat, *rationem habere*; sic fore, ut *immutetur* DEI propositum de *exstirpando* re- gum Assyriorum, & ut *pacem Rex habiturus sit*. Constat enim vel solo Achabi exemplo I. Reg. XXI. 27. DEUM etiam externam non renatorum obedientiam præmiis tempo ralibus & *aversione* pœna- rum temporalium remunerari. *Peccata* ergo *redimere* vel *ab- rumpere* Rex debuit non *satisfaciendo pro pœnis temporalibus* (de hoc enim ne verbum in textu est, sed nec esse potest, cum paccata, quibus non saltem temporale sed *æternum* exilium promeritus fu- erat, dicatur *abrumpere*) sed *immutando vitam suam*, quæ si verè immutata fuisset, vera in DEUM *fides* primò omnium requisita fu- issent; quâ fide *per charitatem* operosâ (Gal. V. 6.) suppositâ, DE- UM vel tollere pœnam, ut non sit *proprie pœna*, vel mitigare eti- am illam, ut non ad *interitum* sed *correctionem* vergat, tam certum quidem



quidem est, quàm certissimum, hæc ad Satisfactiones Papistarum nihil omninò facere; Cum Dues certè poenas *non tollat*, vel mitiget, quod homo Justitiæ *sue satisfecerit*, (quæ enim hæc asserere esset vel impietas vel temeritas?) Sed *quod verè* conversi ad ipsum, & ex inimicis amici, & servis peccatorum, filii & liberi Justitiæ facti fuerint; quod pulchrè expressit Chrysostomus Hom. XXVIII. in I. Cor. XI. 31. *Non dixit*, inquit si **CASTIGAREMUS NOS IPSOS, si puniremus** (quod Papistæ suis Satisfactionibus, flagellationibus, onerosis itineribus & cæteris cultibus electitiis se facere contendunt) *sed SOLUM, si vellemus agnoscere peccata, si nos ipsos condemnare, si de delictis ferre sententiam liberaremur ab eo, quod ET HIC ET ILLUC est, supplicio.*

§. 79. *Dicere* etiam benè possumus (quod *Masenius* nos dicere non posse putabat,) quid Paulus *in se, aliis q̄, adimpleverit*, Col. I. v. 24. ut tamen non cum *Masenio* dicamus, *his ceu satisfactionibus Paulinis meritum Christi, quod sufficiens quidem pro mundo universo, singulis tantum applicatum fuisse* p. 106. Quis quæso unquam ita deliravit, ut *satisfactionem propriam* alienæ satisfactionis diceret *applicationem*? Quin potius dum *passiones nostræ* dicuntur *applicationes eo ipso* non sunt *satisfactiones*, & contra si debent esse *satisfactiones*, non possunt esse *applicationes*: Differunt enim *applicatio & satisfactio*, ut *res & medium applicandæ rei*. Relatorum enim unum impossibile est ut fiat alterum: neque aptiores sunt hominum Satisfactiones ad *applicandam* satisfactionem Christi *sufficientem*, quam calcaneus ad apprehendendâ Eleemosynam, aut calefactio ad calefactionem, redemptio ad redemptionem, Sanatio ad sanationem; quæ deliria, mirum, *Masenum* sub velamine Sanctæ Scripturæ divinæ, orbi obtrudere potuisse.

§. 80. Et sanè quid Paulus verò *passionibus impleverit*, dicere poterant Jesuitæ *Masenio*, præter Glossam interlinearem, Lyrani, Thomas. p. 3. q. 48. art. V. cum ipsi Societatis suæ concives, Salmeron, Estius & Tirinus, quos bona fide citavit & adduxit B. Gerhardus Tom. IV. Confess. Cathol. p. 164. qui omnes veritate convicti vocem *ἀντανάκληρῶ vicissim* sive *reddita vicè impleo*, de passionibus Pauli, quas pro illustranda & *propaganda Evangelii*

Ficta Masenii satisfactio applicatoria, ceu refugium ultimum Papistarum, confutatur.



doctrina sustinuit, rectè explicant, quæ in utilitatem Ecclesiæ, non per modum *satisfactionis*, aut *applicantis satisfactionis*, (hoc enim ipso Estio in h. l. iudice, fuisset arrogantia plenum, si dixisset Paulus, se *PRO REDIMENDIS peccatorum poenis quas fideles debent passum esse*) sed per modum *exhortationis, confirmationis in fide, & imitationis, vergere poterant*; has dicit defuisse passionibus CHRISTI, non ut meritum aut vim satisfaciendi (quid enim desit infinito? sed ut rectè Benedictus Justinianus in h. l.) ut vim & efficaciam traducendi mortales ad fidem, idq; ut corpus ejus mysticum, quod est Ecclesia, perficeretur; docendo quippe, monendo, hortando, denique Evangelium promulgando, magni labores tolerandi sunt, pericula subeunda, multaq; in commoda perferenda. Et quidem has passiones S. Paulus nominat *passiones CHRISTI*, quod ille ceu membrum ejus, sicuti cæteri fideles, illas perferre debuerat, non sane quo ad *societatem satisfactionis*, sed saltem similitudinem *conformationis*: In Ecclesia enim seu in membris CHRISTUS dicitur pati, partim, quod passiones membrorum suas censeat, Act. IX. 5. partim, quod membra Capiti in hoc conformari oporteat. His suis passionibus si dicat *Masenius*, S. Paulum *satisfactoriè applicasse aliis infinitam satisfactionem CHRISTI*, & impiè docet, seipsum, ut supra diximus, implicat, simul & fallatiam ετεροζητησεως committit, & prætereà nihil pro se quicquam dicit, dum locum, qui Paulum in utilitatem *ALIORUM* quædam passum dicit, producit, cum tamen de Satisfactione cujuslibet poenitentis *PRO SE IPSO*, quæstio sit.

Gloriationem Masenii de satisfactione Papistica per scripturam haut stare, convincitur.

§. 81. Parcius ergò gloriari debuisset *Masenius* p. 106. *his stantibus mansuram satisfactionem Papisticam*, supersedereq; poterat intempestivâ admonitione suâ, *verbo DEI à se allato inhaerendum esse*; cum recto talo steterint Scripturæ dicta, quamvis perversiones *Maseniæ*, ut Dagon aliquis arcae Fœderis appositus, stare præ illis minimè potuerint.

§. 82. Unum est tamen, quo foetidæ doctrinæ fragrantiam quandam conciliare volunt; cum nos, cum A. Confess. & ex Scriptura sic argumentamur; Pro quo Christus patiendo & moriendo totamq; legem implendo, *perfectè* & quoad omnes partes *satis-*

satisfactionis, DEO jam satisfecit, pro illo nos satisfacere non possumus, non debemus; Si enim jam ille, cur nos? Si ille non potuit, aut non voluit perfectè, quomodo nos, inquam, satisfacere-mus? At Christus pro peccatis quoad culpā & pœnam omnem &c. jam perfectè satisfecit, ut constat I. Tim. II. 5. I. Joh. II. 12. Esa. LIII. v. 22. Ose. XIII. Hebr. X. 14. ut *MONSTRI simile sit*, dicere, Christum satisfecisse pro culpa, nos pro pœna, ut rectè Apol. A. C. p. m. 190. colligit: Cùm, inquam, sic Satisfactiones evertimus, dicunt illi; Nostram *satisfactionem esse ipsius Christi Satisfactionem*, & Christum *MEDIATE* satisfecisse pro pœnis temporalibus, seu meruisse *illam gratiam satisfactoriam, membrisque suis virtutem satisfaciendi communicasse*, ut loquitur Bellarminus; vel ut Tridentinus Catechismus p. 313. *Vim satisfactionis à merito passionis pendere, meritumque fuisse Christum, ut pro nostris peccatis satisfacere possimus; Quicquid enim (ut ait noster Masenius alicubi) hac virgâ tetigeris, aurum fieri.* Verùm vide-sis hominum vertiginem! Cùm nos secundum Scripturam merito & satisfactioni Christi talem *ἰλασμόν* & propitiationem tribuimus, per quam DEUS omnes, qui vivâ fide illam apprehenderunt suamque fecerunt, non tantùm peccata præterita remittere, sed &, si fortè, post recuperatam per Christum vitam spiritualem, excussamque peccatorum regnantium dominium, & dum piæ vitæ *virtutibusque à DEO mandatis* student, imbecillitates suas senserint nec tamen consenserint, imperfectiones has propter Christum illis non imputaturum promisit, dum, inquam, sic cum Catholica Ecclesia docemus, & opera renatorum, tanquam filiorum suorum, DEO propter Christum *placere*, sentimus, illi, merito Christi hanc *vim denegantes*, & quòd fidelibus meritum Christi DEUS *imputet*, illorum peccata verò, quæ ex infirmitate committunt, propter meritum Christi perfectissimum *NON IMPUTANDO* hæc illis ad judicium, *TEGAT*, strenuè negantes, & quomodo doctrinam hanc exagitare velint vix scientes, nobis insaltant, cum nostro Masenio part. II. p. 30. dicentes: *Placetne igitur homo iniquus? placet ideo, quia, quod iniquum est, pro æquo reputat: possuntne sordes placere, licet in lance proponantur aureæ?* Nunc verò, ubi con-

Masenii & pontificiorum πρῶτον ψεύδος, de satisfactione Christi & nostræ subordinatione convellitur.

Lib. II. de Indulg. c. VII. p. m. 2114.



fictis suis à DEO non mandatis, sed spontè susceptis sæpè ridiculis satisfactionibus pretiosissimum meritum Christi famulari debet, hoc ipsum, omnes etiam à quolibet vili confessionario excogitatas & pœnitentibus impositas sarcinas in aurum convertere potest, adeòq; passio Christi actionibus & rebus à DEO nullo modo mandatis, nedum in hunc finem requisitis tribuere debet non modò, ut imperfectiones earum non imputentur, sed & ut *valorem & vim*, quâ DEO infinito verè pro pœna satisfieri possit, habeant; quo ipso an merito Christi ignominiosius dici possit, meritò dubitandum.

§. 83. Ut taceamus, impium esse & contradictorium, docere, Christum *satisfecisse*, ut nos ex parte satisfacere possimus, seu vim nobis communicasse pro temporali pœna, aut æternâ in temporalem mutatâ, satisfaciendi: Sicuti enim hac homini, ut infiniti Numinis *offense æquivalentem* pœnam vel ex parte saltem sustineat, propter improporcionatam offensi nominis & hominis pœnam luentis *conditionem*, prorsus impossibile est, & si non repugnat, ut meritum Christi nostris operibus largiatur virtutem, infinito DEO pro pœna temporali satisfaciendi, non etiam (quod tamen absurdissimum) repugnabit, ut ipsum virtutem illis largiatur pro æterna pœna satisfaciendi, (quod tamen nec ipsi Adversarii videri volunt docere cum *offensa* pœna æterna vindicanda non *magis* sit offensa Numinis infiniti, quàm *offensa* temporali pœna *expianda*, cum ideò pro omni *offensa* apud DEUM expianda, & pro DEO planè reconciliando requisitum verit *ἰσόρροπον λύτρον* à solo Christo, ceu personâ infinitâ, præstitum) ita, quàm verè hominum nedum Papistia *satisfactio*, etiamsi illi meritum Christi *falsò* supponatur, cum absolutissima Christi satisfactione consistere nullo modo possit, ex his facile liquere potest; nisi forte cum Bellarmino IV. d. Pœn. c. I. p. m. 1711. ita quis delirare velit, ut dicat, *opera satisfactoria nostra* habere aliquam *INFINITATEM ex parte Principii agentis*, sc. Spir. S. & inhabitantis Christi, & esse *satisfactionem* non quidem *perfectam*, sed *IMPERFECTAM*, nitiq; *donatione & acceptatione DEI*. Quæ planè absurda & somniantium verbis simillima esse, nemo fortè dubitare potest.

§. 84.

Bellarmini
Inventum,
satisfactio-
nis huma-
næ infi-
nitæ & im-
perfectæ
rejecitur.

§. 84. Si enim reverà *Infinitas* quædam actionibus nostris propter externum infinitum agendi Principium tribuenda, omnia nostra opera dicenda non solùm forent infinita, sed & opus non fuisset, ut Christus *ipse* quicquam pro nobis Patri *prestisset*, sed saltem ut nobis *vires largiretur*, quo *infinito DEO* ipsi debitum infinite solvere possemus; quod nihil aliud fuerit, quàm seipsum Redemptorem facere; & sanè contradictione res est plena; *satisfactionem* aliquam *imperfectam* & donationem seu gratiam *merentem* dicere, si enim satisfactio non fuerit perfecta, eo ipso non satisfactionem illam debitoris, (quippe quæ ad justitiam commutativam pertinet, & æquivalentem retributionem requirit) sed liberalitatem *creditoris* esse, qui partem debiti remisit, intelligetur, quam si hic per Christum suppleri dixerint Adversarii, quid aliud agunt quæso, quàm ut aperte officium mediatorium *inter se* & Christum dispartiantur, imò quid, nisi gratiam non-gratiam, & meritum non-meritum, satisfactionem non-satisfactionem, hac ratione fabricaturi sint? Si enim, quòd DEO *satisfaciamus*, pro gratia propter Christi meritum ad nos dimananti, deputandum quomodo quæso poterit esse *meritum* & nostra *satisfactio*? Sin- verò satisfactio & meritum; quomodo quæso gratia dici poterit? Hæc enim, secundum S. Paulum, *ἀπαρτι ἰσὺς* pugnant, Rom. XI. 6. Sanè fieri potest, ut opera piorum ex fide profecta DEO, qui ipse illa in illis operatur, propter Christum *accepta* sint & *placeant*; Id enim ei ejusq; *GRATIÆ MERÆ*, (qui bona opera ex *fide viva* in Christum profecta se accepturum, & adherentes imbecillitates, propter Filii sui plenissimam *satisfactionem*, benevolè se condonaturum promisit) in solidum deputandum est, ut verò meritum Christi faciat, ut nos quoque *mereamur*, aut *satisfactionem* fecerit, ut *nos DEO satisfacereamus*, tam planè nullo modo fieri potest, quàm certissimum est, omne *meritum* & satisfactionem *proprias vires* supponere, & Scripturâ teste remissionem *plenariam* peccatorum (Esa. XXXVIII. 17. Esa. XLIV. Mich. VI. 19.) & *satisfactionem* invicem pugnare, Christiq; & nostram satisfactionem se invicem tollere, illumq; pro nobis non modò, sed totius mundi peccatis ideò *plenariè & consummative* (Joh. XIX. 30. Hebr,

Hebr. X. 14.) DEO Patri satisfecisse, quòd *nemo DEO ULLO MO-
DO satisfacere* potuerit aut possit, sed culpam & pœnam omnes
propter Christum quotidie deprecari debeamus, Matth. VI. 12.

Bellarmini
Confessio
est, dari sa-
tisfactionē
pro pœna.

§. 85. Quid multis? *Maseni* & Sociorum de *satisfactione*
MONSTRO similem doctrinam, (ut ait Apol. A. Confess. p. 190.)
quâ satisfactionem Christi culpam eluisse, nostram verò satisfa-
ctionem, pœnam æternam in temporalem tamen maximè *purga-*
torio luendam *mutabilem* coram DEO tollere, docent, inutilem,
contradictoriam, Christoq; , cui individuum Redemptionis & Sa-
tisfactionis pro culpa & pœna gloriam Scriptura tribuit (I. Tim.
II. 5. 6. Es. LIII. 25. Oseæ XIII. 5.) injuriosam, Bellarminum
conscientia propria docuit; Sui enim quasi oblitus rotundè fate-
tur (lib. II. de Indulgent. c. 1. Tom. III. p. m. 2088.) *MERITA*
CHRISTI esse res vivas & sacras & NON SOLUM JUSTIFICA-
RE CORDA, sed etiam SATISFACTORIA esse pro REATU POE-
NÆ TUM sempiternæ TUM TEMPORARIÆ. Quæ sicuti verissi-
ma sunt & aliter res esse fieriq; nullo modo potest, quàm ut CHRI-
STUS, si pro culpa DEO nostro satisfecerit, (ut revera peccatum
pro nobis fiendo, fecit) simul *pro omni* pœna *proprie* dicta, (sive æ-
terna illa sit sive temporalis) satisfecisse, vel certè pro culpæ etiam
parte [propter cujus elutionem pœna infligitur] illum non peni-
tus satisfecisse, dicendus fuerit, ita si penitus hæc considerasset *Ma-*
senius, non opus fuisset, plura scripturæ dicta hic depravare; ac sa-
tisfactionem suam, dum inter homines vivos aut in terra illam (ut
vidimus) invenire non potuit, inter mortuos & in Inferni parte, h.
e. *purgatorio*, porrò quærere.

pag. 103.

Masenius
Purgato-
rium, in
quo Satis-
factionum
Papistarū
proprius
locus sta-
tuitur, ex
Scriptura
non potest
probare.

§. 86. *Nam quod* credere se *futuro seculo remissionem ac re-
tentationem pœnæ in futuro seculo dari*, ait, quod Matth. XII. v. 32.
dicatur. *Non remitti peccatum in Spiritu S. neque in hoc neque in*
futuro seculo, ac quod uniuscujusque opus ignis probaturus sit, &
quosdam salvatum iri quasi per ignem, I. Cor. III. unde etiam
quosdam reperiri, qui *baptizentur pro mortuis* I. Cor. XV. 19. ex
illo purgatorii aut pœnarum, à piis, nî hic satisfaciunt, perferenda-
rum *μορμολύκειον* suum tam non producet, quam evidentissi-
mum est, apud Matthæum *nequaquam dici in futuro seculo fore*
pœnæ

poena retentionem aut remissionem, sed, ut verba sonant & Marc. III. 29. expressis verbis explicatur, *planè ibi non fore remissionem*; dicit enim ibidem Christus, qui peccaverit in Spiritum Sanctum, illi hoc non remissum *iri in æternum*; Si verò contra omnium Dialecticorum regulam, qui ex *negatione* non statim *affirmativam* colligunt, (ut fatetur Bellarm. l. de Purgat. c. IV. resp. ad VII.) ille sic *colligere* tamen velit; non remittetur in futuro seculo peccatum in Spiritum Sanctum, ergò *alia quædam* remittentur; faciet id sanè eadem futilitate, quàm si quis ex exaggeratione Christi, nunquam ex te fructus nascatur *in æternum*, (Matth. XXI. 19.) & Petri, (Joh. XIII. 5.) nunquam lavabis mihi pedes *in æternum*, colligere vellet, in futuro seculo arbores nascituras ac fructum allaturas, aut Christum *quorundam* pedes in æterna vita loturum.

§ 87. Quòd si etiam *Maseni* fidem de igne purgatorio & *satisfactionibus*, non alius, quàm *ignis ille probatorius*, de quo sanctus Paulus loquitur, probabit, verendum sanè est, ne ipse hic locus opus *Maseni* tanquam *stipulam* (ut habent verba Apostoli) certissimè exustus sit; Cùm enim totus locus sit metaphoricus, & nihil *expressè* (quod *Masenius* hic quærit) de purgatorio ejusq; *pœna* habeat, atque, ut totus contextus clamat, de doctrinis *Doctorum* quorundam *curiosis*, *inutilibus* & supervacaneis, quæ in igne tribulationis & *PROBATIONIS*, sicuti doctrinæ veræ & in Petra fundatæ, (quæ auro ibidem comparantur) consistere nequeunt, intelligendus, *Masenianum* verò de purgatorio figmentum, ex his stipulis, quæ fundamento temerè inædificantur, una præcipua sit, (ut vel ex solo probationis defectu id deprehendere licet) valdè ambigendum sanè erit, an vehementiorem ignem, quo *foenum* stipulasq; has suas exurere ipse possit, quàm quem ex hoc loco pro *igne purgatorio* desumere voluit, unquam sufflaminare potuerit. Conferri intereà volumus Ambrosium in Comment. super h. l. cum Erasmi annotat. in eundem, qui Commentum hoc satis confutabunt.

§ 88. Mirum denique est, *Masenum* pro loco *claro*, *perspicuo* & qui *obvio sensu expressisq; verbis* (de quibus toties gloriatur) Purgatorii *satisfactiones* probet, ex I. Cor. XV. c. de *baptismo*



pro mortuis, locum inter veteres & recentiores, controversum, & qui ne gry quidem de Purgatorio habet, imò in quo, si quicquam pro sensu Papistico exinde elicere velis, omnia verba totumq; sensum miris modis rebaptizare cogaris, producere ausum fuisse; sive enim Præpositionem ὑπὲρ cum Genitivo constructam, per *pro* vel per *super*, ut idem significet quod ὑπεράνω, & *nobiscum* de more quorundam in primitiva Ecclesia, qui *super* sepulchra mortuorum Baptismum & cætera divini cultus exercitia administra-
bant, intelligas, (ut hoc non obscurè indicat Eusebius) sive, cum Cornelio à Lapide accipias *pro SPE* resurrectionis, (quam ipse ex Chrysostomo judicat sententiam simplicissimam) seu *pro fide* in Christo mortuorum, sive quocunque sensu de vero & externo Baptismo accipias, nunquam tamen, vel probabili saltem consequentia exinde conficies, ne dicam expressè & in *obvio sensu* leges, dari locum aliquem subterraneum tanquam inferni anterioriorem partem, in quo animæ mortuorum, nisi hic pœnam, impositis à Pastoribus satisfactionibus, satis redemerunt, *pro peccatis satisfacere cogantur*.

Histor.
IV. c. XV.
Comment.
in h. l.
p. 327.

Farr. I.
Pt 49.

§. 89. Nec quicquam juvat *Maseniæ*, si maximè credat, *sub terra reperiri, qui nomini JESU reverentiam præstent*, (sicuti depravat locum Philipp. II. 10.) *Dominumq; quosdam ad inferos deductos reducere*, [I. Sam. II. 6.] *idq; vi redemptionis christi, ut in sua ipsa morte plures in hac captivitate Patrum animas liberavit*, [secundum Zachar. IX. 11.] *idq; tam diu futurum esse, donec omnes à corruptione liberi corpore etiam in libertatem filiorum DEI asserventur*. [Rom. VIII. 21.] Sicuti enim, in primo loco, non dicitur, quòd sub terra sit *Purgatorium*, & in illo sint qui *reverentiam* exhibeant, sed saltem, quòd genu τῶν καταχθονίων inferorum flecti debeat, per τῆς καταχθονίης autem, ut litera sonat, intelligendi sunt ipsi *damnati*, qui, quamvis *contremiscant*, & *inviti*, (Jacob. II. 19.) genu flectere, h. e. *subjecti* esse debent; in secundo, *status miser ac abjectus*, non *propriè* infernus, ex quo, (secus ut de suo Purgatorio sentiunt Adversarii) *non est redemptio*, intelligendus; in tertio verò *NIHIL* dicitur de *CAPTIVITATE ANIMARUM PATRUM*, [quæ mera est interpolatio textus] sed de *totius* hominis redem-
tione

Vide Thomam in
comment.
Vid. Sanct.
in h. l. Ca-
jet. Turin.
& alios.

tionem & ex inferni potestate *preservativa* liberatione, in qua potestate ante liberationem divinam, tanquam in loco, *in quo non est aqua seu consolatio*, [secus ut de suo scribunt Purgatorio Advers. in quo *consolationem incredibilem* cum cruciatu ponunt, vid. Bellarm. II. d. Purgat. c. IV. §. tertio] quoad *ius* & sententiam legis constitutus erat, Propheta loquitur; in quarto deniq; *nequaquam* dicitur, animas *TAMDIU in Purgatorio mansuras*, vel *Purgatorium mansurum*, donec *creatura* liberabitur à servitute, sed per *creaturas* hic *PROPRIE* Apostolus [fatente hoc Cornelio à Lapide in h. l. p. 110.] intelligit *creaturas hominibus à Paulo oppositas*, ut sunt, *cœli elementa omniaq; creata*, [quæ credo non in purgatorio etiam locabit *Masenius*] quæ dicit à servitute & vanitate, cui propter hominem *subjecta* esse coguntur, liberatum iri; Sicuti, inquam, hæc omnia, non diffidentibus id plerisque sanioribus ex Adversariis, sic se habent, ita ut in his, suum *sine aqua* & ex igne constitutum Purgatorium inveniret, tam prorsus *Masenio* hæsit aqua, quàm ridiculè alii ex Ps. LXVI. v. 22. (*Transivimus per aquam & ignem*.) illud probare, ignemq; ex aqua elicere laborant. Vid. B. Lutherus Tom. V. Oper. Jen. p. 165. b.

§. 90. Nullo Ecclesiæ antiquæ testimonio autem Papistarum Satisfactiones cum Purgatorio niti, dextrè probarunt in fide Antecessores Aug. & nos, nostros *Constantin. & Alexandrinos* Papisticos Satisfactores nequaquam fuisse, eadem operâ probare possumus.

§. 91. Verba eorum digna sunt, quæ huc apponantur: *Quod autem*, inquit Apol. p. 197 *Patres mentionem faciunt satisfactionis, quod concilia fecerunt canones, diximus, supra DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM fuisse exempli causâ constitutam. Nec sentiebant, hanc disciplinam necessariam esse, VEL AD CULPÆ, vel ad pœnæ remissionem. Nam si qui in his mentionem Purgatorii fecerunt, interpretantur, esse non COMPENSATIONEM æternæ pœnæ, non satisfactionem, sed purgationem imperfectarum animarum; sicut Augustinus ait, Venialia concremari, hoc est, mortificari diffidentiam erga DEUM, & alios effectus similes. Interdum scriptores transferunt satisfactionis vocabulum ab ipso ritu seu spectaculo, ad significandam veram mortificationem. Sic Au-*

292

gustinus

Satisfac-
tiones
Masenia-
næ deli-
tuuntur
Testimo-
nio Eccle-
siæ.

gustinus vel potiùs Gennadius ait, (libr. de Eccles. Dogm. c. 54.)
Vera satisfactio est, peccatorum *C A U S A S* excidere, h. e. morti-
ficare carnem: item, coercere carnem, non ut compensentur poenae
aeternae, sed ne caro pertrahat ad peccandum. Vid. Cham.
23. c. XVI.

Canonica
Satisfactio
s. poeniten-
tia publica
quid fue-
rit apud
Antiquos,

§. 92. Verissimè hæc dici ab Apologia, nemini, qui purio-
ris Antiquitatis vestigia vel mediocriter saltem legerit, obscurum
esse potest. Quod enim prius attinet, notum est, ut verba D.
Chemn. in Exam. Conc. Trid. Part. II. p. m. 224. nostra faciamus,
in veteri Ecclesia usitatam fuisse Satisfactionem Canonicam seu
disciplinarem: Eos enim, qui vel fidem in persecutione abnega-
runt, vel in manifesta ac atrociam crimina prolapsi fuerant, *veterem
Ecclesiam non leviter recepisse ad primam significationem poeni-
tentiae, sed prius certis Ecclesiasticis mulctis castigatos EXPLOR-
RASSE.* stabant enim in certo loco separato à communione seu
coetu fidelium, cum certis externis signis reatus, vestitu, gesti-
bus, gemitu, lamentis, & supplicationibus fatentes reatum, &
publicè petentes absolutionem, sicut ritus illi describuntur apud
Tertullianum de poenitentia, Eusebium libr. V. c. 28. & alios;
& hos vocabant Graeci ἐπιτίμια ἢ τιμωρίας, mulctas, poenas:
Latini suo quodam modo satisfactiones. Rectè verò addit B. Che-
mnitius, has publicas castigationes veterem Ecclesiam lapsis impo-
suisse, non ut essent *COMPENSATIONES* coram DEO: DEO enim
pro offensa æquivalens reddi ab homine nunquam posse,
[maximè, ubi *SATISFACTIONEM UNIUS* omnibus
IMPUTARI, sicuti omnium peccata ille *UNUS* portavit,
cum S. Bernardo Epist. 190 contr. Abailard. p. m. 1584. docuerint,]
benè sciverunt; Sed his ritibus illos (1) animū poenitentis *explorás-
se*; (2) *Ecclesie*, criminum scandalis offensæ, *satisfactum*; (3) Re-
liquos his spectaculis admonitos fuisse, ut à levitate peccandi *ab-
sterriti*, majori curâ lapsus vitarent; (4) ut ipsis etiam lapsis *incita-
mentum* esset hæc disciplina, ad veri peccati considerationem, ad
serium, non *simulatum* peccati dolorem, ad timorem iræ DEI, &
fidem serio *AMBIENTEM* misericordiam DEI propter Christum;
Denique (5) ut hæc spectacula præberent publicum testimonium,
Eccle-



Ecclesiam non docere libertatem seu impunitatem peccandi. Evidenter hoc ex Hieronymo & Augustino probat.

§. 93. Et sanè Augustinus omnium evidentissimè disciplinam hanc Ecclesiasticam ita describit, ut ex ipsa, quam additam fuisse dicit, *moderatione*, satis patere possit, nullos alios, quàm quos ex B. Chemnitio recensuimus, fines, veterem Ecclesiam in *satisfactione Ecclesiastica* sibi propositos habuisse; In Enchiridio enim c. LXV. de poenitentia publica agens, expressè docet, in criminibus etiam publicis, quibus separationem à corpore Christi quis meritus fuerit, *NON TAM considerandam esse MENSURAM TEMPORIS, quàm DOLORIS: Cor enim contritum & humiliatum DEUM non spernere.* Expressè ergò his docet, *CORAM DEO* sufficere *SERIUM* dolorè, nec hanc disciplinam simpliciter ut *satisfactionem* necessariam introductam esse. Subjicit mox veras hujus rei rationes, *verum*, inquit, *quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quaecunque alia signa procedit, cum sit CORAM ILLO, cui dicitur, gemitus meus à te non est absconditus, recte constituuntur ab eis, qui Ecclesiae praesunt, tempora poenitentiae, UT FIAT ETIAM NB. SATIS ECCLESIAE, in qua remittuntur ipsa peccata.*

§. 94. Atque de hac satisfactione Ecclesiastica intelligendum esse Cyprianum de Lapsis, (quem instar omnium allegavit *Masenius*), vel ipse sermo de Lapsis, h. e. qui, ut pag. m. 128. loquitur, *de illis est, qui verbis perfidis DEUM abnegarunt*, ejusq; tum verba & scopus evidenter satis indicant. Ut mirum sit, in hac pia proq; ejus temporis ratione necessaria & utili disciplina Ecclesiastica, quicquam pro sua *satisfactione meritoria Masenium* invenire voluisse, tum toto genere hæc ab illa differat, nec quicquam illa cum hac commune habeat, præter solum idque falsò interpretatum nomen; cum *Antiquorum satisfactio*, exploratio & certificatio serii doloris lapsorum, & quidem *ante* absolutionem, fuerit, Papistarum verò, eluitio poenæ *coram DEO* & quidem *POST ABSOLUTIONEM* imponenda apud illos, de quorum vera poenitentia jam constat, esse debeat.

Satisfactio
Canonica
ex Augu-
stino ex-
plicatur.

Tom. III.
Op. p. m.
174.



Antiqui
hyperboli-
cè non-
nunquam
loquuntur
de Satisf.
Eccles.
Nec tamè
sensu Papi-
stico,

Satisfactio
emenda-
toria apud
Veteres
quid fue-
rit,

Episcopi
Constant.
& Alexan.
non do-
cuerunt
satisfactio-
nem Papi-
sticam.

§. 95. Non negamus tamen, Veteres de hac satisfactione aliquando hyperbolicè loqui, & facta levi verborum inflexione ad serium dolorem & veram emendationem vitæ utiliter vocem *satisfactionis* accommodare, atque sic, *contrariâ vitæ emendatione* DEO *satisfieri*, docere; nequaquam tamen dicimus, eos intelligere Papisticam *proprie dictam* pro pœna æterna compensationem, sed intelligere Satisfactionem, ut sic loquar, *deprecatariam & emendatariam*, quo sensu apud Latinos authores verbum *satisfactionis* interdum reperiri, probat Johan. Dallæus de pœn. & satisfact. l. VII. c. IV. & ejus exempla plurima ex Ecclesiasticis Scripturis collegit; (Conferatur Cassander art. XII. d. Confess. p. 57.) & hoc sensu nihil aliud voluerunt pii Patres, quàm ut Auditores suos ad seriam vitæ *emendationem* exhortarentur, & indicetur, homines non posse *melius DEO pro impia antea vitæ satisfacere*, (si ullo modo satisfacere possint,) quàm humili culpæ *deprecatione* & *seriâ vitæ emendatione*; hoc modo enim DEO *satisfieri*, hoc est, *voluntatem ejus impleri*, si, cùm quis furatus fuerit, desistat furari, & qui immunditie carnis se maculârit, castitati & pudicitia studeat. In quem sensum Cyprianus de Unitat. Eccles. c. XVII. dixit, *lapsos DEUM plenâ satisfactionibus deprecari*, & Serm. V. qui est de Lapsis. p. 226. *Convertamur*, inquit, *ad Dominum mente totâ & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes DEI misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi mœstitia SATISFIAT.* Et circa finem, *QUI SIC*, inquit, (sc. deprecando & emendando vitam) *DEO satisfecerit, veniam merebitur & coronam.* Quo sensu etiam Leo docuit Serm. quadrages. *Christianam animam debere videre, ne quid discordia inhaerit (animo) ne quid cupiditatis insederit, incontinentiam castitas, inquit, pellat, mendacii tenebras lux abigat veritatis, detumescat superbia, humilitas assumatur.* Vid. Chemnit. Exam. Concil. Trid. p. 228. & Chamier Panstrat. Cathol. Tom. III. lib. XXIII.

§. 96. Nunc quòd nostros *Constantinianos & Alexandrinos* Episcopos in specie concernit, quia nemo hætenus illorum, qui, quod illi ajunt, dicant, à Papistis productus, & qui ex Seculo IV. quandoque producti, planè de re alia, alioq; sensu, quàm quo Adversarii,

versarii, loqui, ab aliis probatum, (in quo post B. Chemnitium haud levem operam adhibuit Dan. Chamier Tom. III. Panstræ Cathol. d. libr. 23. c. XVI. & seq.) quinimò quia veritas hic tam apertè quorundam perstrinxit oculos, ut Georgius Cassander in Consultatione sua ad Imperatorem Ferdinand. I. ad Artic. XII. c. de Confess. p. m. 58. ingenuè fassus fuerit, *Veterum satisfactiones nihil aliud fuisse, quàm opera, quibus animos pœnitentium Ecclesia exercuerit, ipsiq; pœnitentes se seriò de peccatis dolere Ecclesia declararint, atque ita manus impositione Episcopi & Cleri Ecclesia reconciliarentur, & Jus Communicationis acciperent, atque hæc præscripta officia canonicas satisfactiones seu pœnas vocata fuisse, quæ ut PAULATIM IMPERIA EPISCOPORUM & Pastorum, quàm populi, PRORSUS IN DESUETUDINEM VENERINT, nisi quod in privata Confessione ejus rei VESTIGIA MANSERINT, cum pœnitenti aliqua pietatis opera, sed privatim, indicantur; ideo Episcopos Constantinianos Alexandrinosq; his satis ab ementitis Adversariorum satisfactionibus insimul vindicatos esse speramus, maximè ubi constet, usque ad tempora S. Bernardi argumentum à plenariâ remissione peccatorum fidelium coram DEO deductum, (quo ceu præcipuo fidei nostræ Primores, satisfactionem Papisticam olim arietarunt) in Ecclesia servatum fuisse, de quo pulcherrimè dictus Bernardus; *si ex toto, inquit, indulget & tam liberaliter omnem donavit injuriam, ut jam non damnet ULCISCENDO, non confundat improperando, nec minus diligit imputando: sunt enim aliqui sic donantes injuriam, ut non ulciscantur, sæpius tamen improperant: sicut & alii, qui se leant, licet, manet tamen altâ mente repostum & rancorem tenent in animo, quarum UTIQUE NEUTRA PLENA INDULGENTIA est: Longè ab HIS OMNIBUS benignissima est divinitatis natura. Liberaliter agit, IGNOSCIT PLENARIE.* Hæc Bernardus optimè; Quibus cum stare satisfactio Papistica non possit, quippe quæ partem offense apud DEUM per pœnam propriè dictam post remissionem peccati eluenda, adeoq; improperatione supponit, facilè exinde est colligere, saltè ad tempora Bernardi, Veteres quo ad hunc articulû Papistas non fuisse pede q; quolibet*

Sermon. d.
7. Fragmē-
tis miseri-
cord. T. I.
p. m. 232.
conf. Epi-
stol. 190.
contra
Abailard.



libet in quodlibet, imò seipsum in alienum *transformante* non
inceffisse.

Purgato-
rium Anti-
qui non
credide-
runt Ale-
xandrini.

In Confut.
Lutheri
art. XVIII.
p. 496.

VIII. de
rer. invet
c. I.

Ap. Rivet.
in Cath.
Orth. T. I.
p. 336.

§. 97. Quod etiam Purgatorium, ceu locum Satisfactio-
nis ordinarium, in quo, nisi virtute Indulgentiarum Papalium,
status mutetur, utut hîc quæ jubentur, omnia fecerint, (mira ho-
minum somnia!) tamen pro pœna æterna in temporalem mutatâ,
secundum Adversar. satisfacere homines tenentur, *ANTIQUITAS*
& cum illa nostri *Alexandrini* *NON* crediderint, præter illa, quibus
exactissimè & fusè hoc evicit B. Chemnitius in structura Purgatorii
Part. III. Conc. Trid. p. 85. & seq. ex apertissima Johannis Fischeri,
Epis. Ros. confessione patet, qui concessit, *de hoc, AN PURGA-*
TORIUM sit, apud *PRISCOS NULLAM* vel *RARISSIMAM*
fieri mentionem, sed & à *GRÆCIS IN HUNC USQUE DIEM*
(à tempore scil. quo extitit Græca Ecclesia) *non esse creditum*.
Cum quo consentit Poly. Verg. *quamdiu*, inquit, *nulla fuerit de*
Purgatorio cura, (E. aliquando nō fuit) *nemo quæsit Indulgentias*.
Instar omnium etiam S. Patrum sancti Ephremis Syri (circ. ann.
365.) testimonium nunc sit, qui cum nullum inter cœlum & infer-
num intermedium locum post hanc vitam agnoscit, Purgatorium
satis confutasse censendus est: *Extra duos hosce ordines*, inquit,
non est ordo MEDIUS, loquor autem de altero quidem superno, al-
tero inferno, inter quos medians est veritas differentia retributio-
num. *Quod si verum sit, ut constat esse verissimum, quid INSI-*
PIENTius absurdus ve iis, qui dicunt; quoniam suffecerit mihi
gehennam effugisse, ingredi autem regnum cœlorum non est cura,
cùm effugere gehennam hoc ipsum sit regnum cœlorum ingredi,
quemadmodum & eo excidere, est gehennam introire: Neque enim
nos TRES regiones scriptura edocuit. T. I. de Mans. beatif.
Quæ & alia pro Antiquitate & nostra *Negativa*, partim ipsorum
Adversariorum testimonia, si in contrariam formam *transformare*,
& Purgatorium suum, cum cæteris fictarum satisfactionum com-
mentis liquidius, ut fecit, demonstrare poterit *Masenius*, pedem Pa-
pismo *μεταμορφωσιν* ulterius non imputabimus.

LIBRI


✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

44
2009. L
NTINI M.

RO Episcopo

GNO dicto,

ugustanae Confessionis

VIVI

&

MASENII,

ATIO VII.

Metamorphico,

ulo Abusuum,

ate Theol. consentiente

ibent

TABBERT,

Ord. p. t. Facult. Decanus,

& Eccles. Mar. Pastor,

&

tenmacher / Torgâ Misnicus,

di ad diem 23. Decembr.



SWALDIÆ,

CHER, Acad. Typogr. Anno 1676.

H. Burgard. Typogr.

